



Disquisitio historico-dogmatica de realismo et nominalismo quatenus vim habuerint in praecipuis placitis theologiae scholasticae, inde ab Anselmo usque ad Gulielmum ab Occamo

<https://hdl.handle.net/1874/316384>

DISQUISITIO HISTORICO-DOGMATICA
 DE
REALISMO ET NOMINALISMO,
 QUATENUS VIM HABUERINT IN
 PRAECIPUIS PLACITIS
 THEOLOGIAE SCHOLASTICAE,
 INDE AB ANSELMO USQUE AD GULIELMUM AB OCCAMO.

DECLARATION OF INDEPENDENCE

When in the course of human events, it becomes necessary for one people to dissolve the political bands which have connected them with another, and to assume among the powers of the earth, the separate and equal station to which the laws of Nature and of Nature's God entitle them, a decent respect to the opinions of mankind requires that they should declare the causes which impel them to the separation.

We hold these truths to be self-evident, that all men are created equal, that they are endowed by their Creator with certain unalienable Rights, that among these are Life, Liberty and the pursuit of Happiness.

That to secure these rights, Governments are instituted among Men, deriving their just powers from the consent of the governed, — That whenever any Form of Government becomes destructive of these ends, it is the Right of the People to alter or to abolish it, and to institute new Government, laying its foundation on such principles and organizing its powers in such form, as to them shall seem most likely to effect their Safety and Happiness.

DECLARATION OF INDEPENDENCE

IN CONGRESS, July 4, 1776. The unanimous Declaration of the thirteen united States of America: When in the course of human events, it becomes necessary for one people to dissolve the political bands which have connected them with another, and to assume among the powers of the earth, the separate and equal station to which the laws of Nature and of Nature's God entitle them, a decent respect to the opinions of mankind requires that they should declare the causes which impel them to the separation.

We hold these truths to be self-evident, that all men are created equal, that they are endowed by their Creator with certain unalienable Rights, that among these are Life, Liberty and the pursuit of Happiness. — That to secure these rights, Governments are instituted among Men, deriving their just powers from the consent of the governed, — That whenever any Form of Government becomes destructive of these ends, it is the Right of the People to alter or to abolish it, and to institute new Government, laying its foundation on such principles and organizing its powers in such form, as to them shall seem most likely to effect their Safety and Happiness.

In support of this Declaration, we have signed our names as representatives of the people, authorized them to publish these Declarations and to send by messengers to the thirteen united States of America, a copy of this Declaration, that the world may know the causes and intentions of our separation from Great Britain, and that we may all unite with them in supporting the same.

IN WITNESS WHEREOF, we have hereunto set our hands and seals, the day and date above written.

JOHN ADAMS
JOHN JAY
BENJAMIN FRANKLIN
ROBERT R. LIVINGSTON
JAMES MADISON
JAMES MONROE
SAMUEL JOHNSON
THOMAS JEFFERSON
THOMAS MIFFLIN
THOMAS PINCKNEY
THOMAS SIMMONS
THOMAS TAYLOR
THOMAS WATSON
THOMAS WELLES
THOMAS WILSON
THOMAS WOOD

DISQUISITIO HISTORICO-DOGMATICA

DE

REALISMO ET NOMINALISMO

QUATENUS VIM HABUERINT IN

PRAECIPUIS PLACITIS

THEOLOGIAE SCHOLASTICAE,

INDE AB ANSELMO USQUE AD GULIELMUM AB OCCAMO.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GERARDI JOHANNIS MULDER,

MATH. MAG. PHIL. NAT. ET MED. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

ALLARD PIERSON,

Amstelaedamensis.

D. VIII M. FEBR. ANNI MDCCCLIV, HORA I.



TRAJECTI AD RHENUM,

APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.

MDCCCLIV.

REVISION OF THE

CONSTITUTION

AND BY-LAWS

OF THE

THEOLOGICAL INSTITUTION

1880

AND

BY-LAWS

OF THE

THEOLOGICAL INSTITUTION

OF THE

THEOLOGICAL INSTITUTION

OF THE

THEOLOGICAL INSTITUTION

OF THE

THEOLOGICAL INSTITUTION

OF THE

OF THE

THEOLOGICAL INSTITUTION

OF THE

THEOLOGICAL INSTITUTION

OF THE

OF THE

OF THE

PARENTIBUS
OPTIMIS CARISSIMIS

SACRUM.

FRAGMENTO

PARMENIDES

OPTIMA CARISIMA

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

PRAEFATIO.

Est sane quod laeter me adspicere finem curriculum academici, quod ante hos quatuor et dimidium annos forti animo ingressus sum. Gestire enim animus solebat, ad scopum mihi propositum, haud prorsus indigne pervenire. Longius, initio saltem, esse videbatur ad calcem decurrere; nec me habebam umquam voti compotem fore. Theologiae scholas frequentans, Professores audiens de summis argumentis agentes, non tarde cupiditas animum incessit ea cognoscendi, quae Theologiae studiosum scire atque cognoscere oportet. Omnia quae cum in scholis, tum in musaeo meo docebar, maximi erant momenti; idque effecerunt, ut summo Theologiae studii amore imbutus, me multa audientem multaque legentem, numquam tamen satis audivisse, nec satis legisse putarem. Theologicarum vero disciplinarum encyclopaedia, pro virium imbecillitate, magna indigestaque moles saepius mihi visa est,

quam nimirum funditus cognitam habere, summis tantummodo ingeniis, me longe superioribus, contingat. Quae de caussa id imprimis spectabam, ut unam illius encyclopaediae mihi eligerem disciplinam, cui operam navare possem. Omnium una me alliciebat, mihiq̄ue arridebat disciplina, quae dogmatum historiam cognoscere studet. Humani nihil a me alienum esse ducens, universe historiam iterum iterumque adire, magnae a teneris mihi erat animi voluptati; historiam dico, quippe quae omnia humana nobis tradat, atque id efficiat, ut in remotissimorum populis quorumque saeculorum mediis versemur. Magni vero, prae caeteris, illa facienda videbatur historiae pars, quae accuratam disquisitionem instituire amat de ratione, qua mortalium genus gravissimas quasque quaestiones secum animo volverit; quomodo autem fieri potuisset, quin summa cum animi attentione hominem considerare cupiverim, de Christi religione atque doctrina cogitantem. Puto enim me egregium spectaculum oculis capessere, quotiescumque indagem, religioseque investigem quid, quaque aetate, cum Ecclesiae, tum Viris doctis de Christiana visum sit religione. Nec unquam me taedet, a partium studio alienum, de placitis quaerere quae, pro temporis ratione atque indole, sive propugnata sint, sive reiecta. Animo collustrantem principia atque rationes diversissimas, quibus usa sit Ecclesia Christiana, ut veritatem, a Deo patefactam, penitus cognitam haberet, atque veram Christi religionis indolem magis magisque persentisceret, me sperare confiteor fore ut ab optata illa liberalitate non prorsus alienus fierem, quae varias patiatur sententias, nec nimis saeviat in errores, qui novi quidem

esse videntur, reapse tamen cum antiquioribus falsis opinionibus quam arcte cohaerent, liberalitatem significo, quae aureum illud Paulli probe teneat: Ἐκ μέρους γὰρ γινώσκουμεν.

Pugnam autem Realistas inter et Nominalistas idcirco peculiari animadversione dignissimam duxi, quod adhuc usque multos viros doctos in duas dividere partes videtur. Utrum suo iudicio plane stet Theologia, an auctoritati externae obtemperare debeat, quaestio est et medio aevo, et nunc agitata. Utrum rationi humanae omnia dijudicatu permittantur, an omnis abrogetur auctoritas, et olim quaesitum est et nunc quaeritur. Utrum universalialia cognoscamus, an de singulis tantummodo nobis constet, sub iudice adhuc usque lis esse nonnullis videtur. Hanc ob rem igitur maximi mihi fuit momenti videre, quamnam vim in praecipuis Theologiae mediæ aevi placitis cum Nominalismus habuerit, tum Realismus. Materies aderat, philosopha ratione exulta, quam tamen, ut theologiae ratione habita equidem considerarem, non opus fuit ut omnia evolverem Scholasticorum opera; quo factum est, spero, ut non nimis arrogans esse videar hoc argumentum pertractandum mihi eligens, quo studiorum Viris doctis, quaecumque sit, specimen proponam.

Est igitur quod laeter me hanc disquisitionem, pro viribus, absolvisse; est quod gratias tribuam sincerissimas omnibus, qui, ut aliquatenus saltem ad disputandum de hac gravissima re, idoneus essem, magno mihi fuerint auxilio. Illos vero recordantes, publice confiteri mihi liceat, quantum Tibi debeam, Promotor aestumatissime, Vir Cl. Vinke, pro benevolentia, qua me excepisti; pro

liberalitate, qua in specimine conscribendo, quoad fieri potuerit, Tu me pati solebas meum esse. Ne Tua amicitia prorsus indignus esse videar; nec umquam sinat animus meus, benevolentiae Tuae me immemorem fieri, quae per omnem vitam academicam, atque imprimis mensibus proximis mihi contigit. In verba enim magistri iurare numquam a me poscebas; libero, quamquam pio, animo de veritate me quaerere, nonne id semper Tibi gratum erat atque acceptum? Utinam Tibi persuasum habeas, — quod quoque Tuae curae, Tuaeque amicitiae erga nos, dulcis sit remuneratio, — omnes Tuos discipulos, Te, Vir Clarissime, et observare et diligere.

Neque aegre feras, Clarissime Bouman! me Te compellere, Tibique gratias agere. Quo imbecilliores, eheu, Tuae esse solerent vires, eo majoris, Tui nobiscum colloquentis, ardorem juvenilem faciebam. Inanis esset conatus, si eodem sermone elegantissimo, quem ex Tuo ore semper nos audire, numquam sane erat quod mireremur, exprimere vellem, quod sentio. Verba inculta ne spernas, obtestor; ducas enim me ex animo vereque dicere: Senectuti, Tuaeque corporis imbecillitati Deus adsit propitius. — Tibi parcat summa Ejus misericordia; Tibi tuoque collegae auxilio sit Numen supremum, scholas quoque defuncti habentibus.

Est sane quod doleam me Viro Clarissimo gratias non tribuere posse, cujus memoriam pie colimus. Eum enim, qui gravis nobis erat magister, ita tamen gravitatem comitate condire amabat, ut sincerus optimusque nobis esset amicus, eum enim, qui pietate aequae ac doctrina insignis, regiam scientiae nobis viam monstrare solebat,

etiamnum cura vesci Deus noluit. Sit illi terra levis, beatae sint domus coelestes!

Est sane quod doleam me adspicere finem qui et Tibi valedicere jubet, Vir Cl. Opzoomer. Scientiae copiam meam augeri, me puros servare mores, animique pietatem me fovere semper erat quod Tibi voluisti. Utinam mei aliquoties Tibi dulcis sit recordatio. Grato enim animo Tuum me praedicare discipulum numquam non juvabit.

Est sane quod doleam me adspicere finem. Longa enim est ars, brevis vita; quod, si animo occurrit, tristitia atque severitate me implet. Praeterit aetas, quae securitate et alacritate cernitur; aetas, qua litteris incumbere, scientiae operam navare maximopere juvat. Equis ego sum, qui jam summos petam in Theologia honores? Praestaret ex integro me Scholas adire; praestaret segura illa gaudere vita Academica, omnium una idonea, qua utamur ut semper aliquid addiscamus, artibus et litteris instituamur, puerilemque nostram aetatem ad humanitatem informemus. At graviora nos vocant. Omnia invitant, ut ad vitae usum conferamus, quae edocti simus. Progrediendum est. Brevioris vitae longior, ut spero, pars superest, qua ita quoque litteras tractare debebo, ut ad aliorum usum eas transferam. Haec tamen laetitiam mihi non afferunt. Amicorum enim meminisse, quorum familiaritate usus sum, tristis est voluptas. Quo longiores tamen absimus, eo religiosiores curemus ne unquam nos nostrum invicem obliviscamur.

Omnis vero voluptatis expers essem, Vos compellans, Parentes Optimi Carissimi! horam propinquam prospiciens, quae a Vobis me seiunget, nisi probe scirem ma-

gnum Vobis hunc diem afferre gaudium. Nec enim labori, nec curae unquam pepercistis, dum filius voti compos fieret. Etsi satis magnam laetitiam voluptatemque capiebatis ex futuro meo verbi divini ministerio, ad quod me rite informari vehementer cupiistis, Vos tamen maximo cumulari gaudio intelligo, quod specimen absolverim, idque Viris doctis proponam, ut summi in Theologia mihi contingant honores. Non profecto huius loci est, omnia Vestra enumerare beneficia, quorum nullius unquam immemor fiam. Quidquid in me est — hoc enim publice polliceri juvat — adhibebo ad pietatem illam, ad quam me informare studuistis, servandam, augendam; Pius parentibus Deus Optimus Maximus me dignum reddat filium. Nec Patris curae, nec sollicitudo Matris operam et oleum perdant.

Omnibus praeceptoribus, amicis omnibus valedico. Valeatis omnes, omnesque ametis iterum iterumque rogo.

CONSPECTUS.

INTROITUS.

	Pag.
ARGUMENTI MOMENTUM.	1.

CAPUT I.

DE SCHOLASTICORUM PERIODO.

SECTIO I.	Initii hujus periodi facies.	13.
" II.	Philosophiae Scholasticae indoles.	20.
" III.	De Realismi et Nominalismi notione.	35.
" IV.	De Periodi Scholasticae divisione.	47.

PERIODUS PRIMA.

A SCOTO ERIGENA AD JOHANNEM SARISB.

CAPUT II.

PUGNAE HISTORIA USQUE AD ABAELARDUM.

SECTIO I.	Rabanus Maurus. Scotus Erigena.	49.
" II.	Gerbertus. Berengarius. Lanfrancus.	59.
" III.	Anselmus.	63.
" IV.	Gulielmus a Campellis. Gulielmus Carnotensis. Gulielmus a Conchis.	85.

CAPUT III.

INDE AB ABAELARDO USQUE AD ARABUM PHILOSOPHIAM
INNOTESCENTEM.

SECTIO I.	Rerum conditio. Liber <i>de generibus et speciebus</i> .	Pag. 94.
" II.	Conceptualismus in Theologia. Artis dialecticae vis.	103.
" III.	Gilbertus Porretanus.	112.
" IV.	Varii doctores, usque ad finem saec. XII. De Mysticismo.	118.

PERIODUS ALTERA.

A JOHANNE SARISB. AD GULIELMUM OCCAMUM.

CAPUT IV.

A JOHANNE USQUE AD DUNS SCOTUM.

SECTIO I.	De philosophia Arabum innotescente.	142.
" II.	Davides de Dinando. Amalricus.	165.
" III.	Alexander Halesius. Robertus Lincolnensis.	169.
" IV.	Albertus Magnus.	175.
" V.	Sanctus Bonaventura.	189.
" VI.	Thomas Aquinas.	207.

CAPUT V.

NOMINALISMI VICTORIA.

SECTIO I.	Duns Scotus.	256.
" II.	Gulielmus ab Occamo.	268.

ERRATA.

Pag.	48	lege Tennemann; ab eo inde deleantur; lege desinit.
"	59	" Gerbertus.
"	128	" Hauréau.
"	189	" SECTIO V.
"	256	" CAPUT V.

INTROITUS.

ARGUMENTI MOMENTUM.

Dubia nonnullis Theologiae videtur conditio. Diversae sententiae aequo jure proponuntur, aequa fortuna propugnantur. Doctissimi Theologi non raro in diversas partes abire solent; eorum autem quisque veritatis studiosum, quisque integri animi et liberi, sese profitetur. Nec tantummodo de rebus minoris momenti, de principiis etiam disputatur; et quum, nostris imprimis temporibus, vernaculo sermone theologia tractari soleat, coetus Christianorum clarioris auctoritate alicujus nominis nitens, saepius, quae Theologos sejunxerant, referre conatur. Quid unum semperque verum sit, hominibus invenire non licere videtur; quum omnes tempus somniamus, quo omnia in gratiam sint reconcilianda, quae nunc divelluntur, Theologiam in tam infelici esse causa plus minusve omnes querimus.

Verum, ubi non omnes exhaustae sint vires, quibus, quae dolemur, fortasse emendare liceat, tantummodo queri nostrum non est. Quid? omnia fere tempora, omnes aetates, omnes, qui floruerunt viri, arte aut ingenio praeccellentes, frustra conarentur, ut optatam componerent pacem inter Theologos, qui maxime inter se discedant! Quid? tam indociles nos inveniret historia, optima illa magistra, ut nondum desperaremus, consensus atque unitatis humanum genus, in re gravissima, unquam particeps fore! Quid? Undevicesimo nostro liceret saeculo, quod summa sapientia anterioribus saeculis recusasse videtur!

Nec temerarii, neque immodesti videamur, quum, eadem ipsa temporis nostri indole, spem foveamus, adversus conatus, quos historia inanes fuisse docet, etiam nunc nobis adesse quae incertae Theologiae conditioni medicinam afferre possint. Quaenam enim celeberrimae nostrae aetatis tamquam nota characteristicae jure habetur? Paucissimis verbis huic, ni fallor, quaestioni respondere possumus, si modo attendamus omnes, qui nunc florent, Viros doctos ab inani illa vanaque philosophia redire, quae non scrutari nec indagare, sed potius a priori, quae vera sint constituere amet, atque sese ad veram philosophiam convertere, quae in quaerenda veritate cum historiae, tum experientiae rationem habeat. Sic physici, ipsa natura consulenda, ipsius secreta nobis revelant; philosophi politici et anterioris et hodierni temporis cognoscenda conditione, vitae ac saluti civitatis consulere conantur.

En, ex ipsa aetatis indole studioque nobis conspicuum, nisi egregie fallor, quomodo optime Theologiae quoque consulere possimus. Theologiae historiae studium,

nimis adhuc neglectum, in lucem prodeat, magis magisque sese commendet. In omni autem theologiae historia pertractanda nulla pars tanti mihi habenda videtur, nec illius ponderis, quam illa quae de *dogmatum* agit historia. Dogmata enim, quae procedente tempore, in Christi Ecclesia invaluerunt, si accuratius nobiscum in animo consideramus, totius Theologiae tamquam compendium habebimus, unde omnia ipsius fata facile cognoscere, sponte explicare possimus. Historia autem dogmatum minime variorum placitorum, quae inter se non arcte cohaereant, longa est ac molesta enumeratio, sed licet dogmata per vices sibi successerint, *intimae vitae* Christiani, quatenus de summis rebus cogitet, docta est expositio. Quae expositio qua de caussa tam magni facienda sit, sponte apparebit.

Duo nimirum mihi videntur adesse scopuli, quibus theologus facile illidi possit, nec raro illidatur, quorum unum habeo Scepticismum, alterum Fanatismum. Quae supra monui, multi Theologi saepius secum volvunt; audiunt doctores variam profiteri doctrinam, audiunt sectatores inani voce sonare; adspiciunt campum, quo pauci adhuc certantes supersunt, quem longe plures, defesso animo, deseruerunt.

Τί ἐστὶν ἀλήθεια, adpectu illo defecti, quaerunt; nec responsum expectantes, omni mente in scepticismum sive extremum, sive moderatiorem se conjiciunt. Historiam vero dogmatum quum consulant, qui dubitatione aestuare videntur, eorum animi tranquilluntur, dolorem metumque deponant, necesse est. Luce clarius enim iis erit, per longum temporis intervallum humanum genus, licet vulneribus tamquam oneratum, acerrimis defatigatum

pugnis, pedetentim, magis magisque ad veri bonique cognitionem progressum fuisse; manifestum erit errores et falsas opiniones, veluti nubes, solis ortu, luce veritatis extabuisse, — quid? eam ipsam veritatem numquam, nisi atra praecedente nocte, apparuisse.

Alter autem adest scopulus, aequè vitandus. Nonnulli enim, quum dubitationem omnem fugere velint, Scyllam elapsi, Charybdi occurrunt; fanaticè sententiam defendunt atque veritatem, quam se ipsos invenisse putant. Alteram partem audire strenue recusant. Delendum quidquid huic veritati vellet esse contrarium. Penes nos, ita dicitant, salus Ecclesiae, iudicium veritatis; nostro arbitrio omnia permittantur. — In summo revera periculo est qui qualemcunque sententiam, a se inventam habeat. Ille, nisi summa prudentia praeditus, fanaticus fiat necesse est; aliorum enim sententiis, homines feliciores, meliores inprimis, reddere frustra conatis, nova haec sententia ut ipsi inventori videtur, humano generi proderit. Talis autem novae sententiae auctor quum dogmatum consulat historiam, plerumque eam jam ab aliis expressam reperiet; quatenam illi jam antea fuerint opposita, sponte videbit. Videbit et rationem, qua ejusdem sententiae sectatores jam multos ante annos cum adversariis certaverint, sequelas cognoscat inde exortas, quo melius utrum illi doctrinae unice fides sit habenda, dijudicare poterit.

Quum contra revera novam professus fuerit doctrinam, historia eum, aliorum exemplis, docebit, quidquid novum, licet docte et ingeniose inventum, in Theologia proponatur, non continuo accipiendum, non nisi magna cautione salutandum esse. Ex his autem quae nunc de

historia indaganda monui, minime duos tantummodo fructus percipi posse volui. Multis nominibus hanc Theologo optimae frugis fore indagationem, multi alii satis probarunt. Idcirco equidem haec duo attingi, quoniam ad ea, de quibus nunc acturus sum, maxime pertinere mihi videbantur.

Historiae dogmatum quum partem mihi eligere cuperem, quam paullo accuratius indagarem, vix aut ne vix quidem verbis exprimere licet, quantopere ductus fuerim ad illius periodi studium, quae vulgo dicitur *Scholastica*. Scholastica nimirum periodus, quae medii aevi maximam partem amplectitur cum philosophiam, tum theologiam, omnium una idonea mihi videtur ad Christianismi vim illustrandam ac efficacitatem, quam in toto homine habere possit. Primis enim saeculis postquam Christi religio in mundo invaluerat, nimium aderat discrimen Christianos inter et Ethnicos. Tenuis erant vires coetus ex hostili Paganismo orti, contra eos tamen qui novum Dei cultum vehementer oppugnabant, Christiani se defendere debuerunt. Eorum fides ne infirmaretur, vires ne debilitarentur, primis illis Christi sectatoribus tantummodo fere curae erat. In mediis persecutionibus id in primis ipsorum interfuit ut animos nemo immi-neret, nec a fide detraheret Christo habita. Ne ulli igitur mirum videatur, quodsi religiosum principium nimis ab iis excultum sit, nec Christianismum ad omnes animi facultates pertinere passi sint. Postea quam Constantinus persecutionibus finem posuit, Ecclesia nimis occupata erat in catholica fide magis magisque constituenda, in erroribus oppugnandis, in religione propaganda, quam ut illa, de qua ipse auctor dixerat: *ὁμοία ἐστὶν . . . Ζύμη ἢν*

λαβοῦσα γυνή ἐνέκρυψεν εἰς ἀλεύρον σάτα τρία, ἕως οὗ ἐξυμώθη ὄλον ¹⁾, jam nunc operi sufficere potuisset.

Multa post saccula, rebus Ecclesiasticis instauratis tempus ortum est, primae aetati haud dissimile. Discrimen quod obtinuit Reformatos inter et Romano-Catholicos ejusdem plane generis et indolis erat, ac id quod jam antea Ethnicos sejunxerat a Christianis. Lites acerrimae iterum Ecclesiam veluti lacerabant; persecutiones rursus imbecillos fatigabant coetus, ita ut nihil Protestantibus magis cordi esse potuerit, quam strenue et fideliter, in iis quae Evangelium revera continere credebant, perseverare. Neque eos igitur poscas Christianismum tamquam totius vitae ζύμην proponere. — Accedit quod, post periodum, quae vulgo appellatur scholastica, sacra et profana prorsus nimis accurate distinguerentur. Quae distinctio nec postea, nec vel nostris temporibus sublata videtur, unde principium Christianismi nunc unice fere ad religiosum hominis sensum referri cuiquam sponte patebit. Ex his igitur, quae nunc monuimus, conficere possumus, Christianismum, primis et recentioribus saeculis, religionis quidem vitaeque ratione habita, nostra interesse; contra vero, quum Theologiae inprimis dogmatum historiam attendere velimus, non nobis ejusdem esse momenti, ac scholasticam, quam dicunt, periodum. Quod non temere contendimus. Scholasticismi nimirum nota characteristicam in eo cerni mihi videtur, quod Ecclesia placita Christiana, quae ipsa in lucem protulerat, philosophorum scholis permiserit. Neque inferioribus tantummodo scholis ubi de *trivii* et *quadrivii* disciplinis ageba-

1) Matth. XIII: 33.

tur, sed etiam in litterariis universitatibus simul cum nova philosophia ortis. Theologia Christiana adhuc quidem privatis institutis informata, Patrum Ecclesiae tantummodo scriptis tamquam disciplina exposita erat; quam nunc autem doctores, ut primum Parisiis, sic deinde ubicumque fere, publice tractabant; varia Christianae religionis placita in *σύστημα* absolutum redigerunt; in diversas Viri docti abiere partes, nec in indaganda veritate fidei tantummodo rationem habebant. Quodcunque dogma fide sane essent amplexi, *intelligere* imprimis studebant. — Ipsam veritatem, qualis codice sacro contineatur, et ab Ecclesia credatur, intima animi conscientia cognoscere conabantur, eoque fidem, quantum fieri posset, ad *γνώσιν* efferre. Quem autem conatum non a singulis viris egregiis, sed a multis Ecclesiae doctoribus, per longam temporis periodum, immo certa quadam methodo, ita fuisse institutum ut nunquam fides impugnaretur, semper contra, tamquam verissima poneretur sumptio, caussa videtur, ob quam Theologia scholastica, quod ad dogmatum historiam, maximi momenti jure habeatur. Subinde animadvertendum catholicam fidem multis disputationibus fuisse fundamento; quae tamen nunquam de *totius*, multo magis autem de singularum Theologiae *partium ratione* habebantur, ut jam recte monuit doctissimus vir Baur¹⁾. Unde explicandum videtur philosophiam Scholasticorum constitutam doctrinam haberi non posse, sicut Platonis aliorumque. Hac enim, de qua nunc agimus, aetate philosophia et theologia prorsus eadem habebantur. Theologus nimirum nihil aliud spectabat, quam philosophus.

1) Vid.: *Dogmengeschichte*.

Dei indagare naturam, rationem cognoscere, quae Deum intercedat et universum, omnes simul studebant, conabantur omnes. — Haec altera hujus periodi nota videtur characteristicam. Recentioribus, ut antiquissimis Christi Ecclesiae temporibus, philosophia cum vera theologia nihil commune habuisse, philosophia enim per se exulta, patefactionis principia facile negligere potuisse videtur. Humani intellectus et universi in sensus cadentis tantummodo rationem habeat philosophia necesse fuit. Medii aevi autem philosophia ab omni parte Christiano fundamento nititur positivo; quo totam prorsus philosophiam immutari sponte apparet. Homini intellectus nec minus universi cognitio, inferiorem, in philosophia medii aevi, obtinet locum. Eorum leges, quod ad principia, nihil omnino valent. Divina auctoritas, patefacta veritate nobis cognita, suprema habetur lex, quae omnibus ratiociniis moderatur, nec contra se quidquid statuere homines patitur. *Per fidem ad intellectum* tum theologiae, tum philosophiae summa est sententia.

Nisi autem a proposito abire velimus, quominus haec ulterius explicemus nunc impedimur. Conferantur omnino quae egregie scripsit summus philosophus Hegel¹⁾.

Ex iis tamen quae diximus satis, ut spero, apparet cujusquam, historiae dogmatum cognoscendae cupidi, Scholasticae periodi maximum interesse, omniumque litium, quae tunc animos divulsere.

Quarum autem nulla tanti esse momenti mihi videtur quanti illa, quae *Realistas* inter et *Nominalistas* obti-

1) Vid.: *Geschichte der philosophie*, Tom XV.

nebat. Primum, quod cum totius periodi indole arctissime esset conjuncta, deinde quod non ad illa remotiora tantummodo tempora spectet, at vero recentiori aetate viguisse, et vel adhuc usque vigere dici possit. Hic autem paucis significare liceat quae in specimine meo uberius illustrare conabor.

Dissensio Realistas inter et Nominalistas *cum totius periodi indole coniuncta erat*. Scholasticis, quum veritatem nec quaerent nec probare conarentur, tantummodo intelligere vellent quae, sine ullo errore, Ecclesia constituerit, placita, cogitandi ratione et methodo imprimis opus erat. Qua ex methodo omnes ratiocinationes, disceptationem qualemcunque procedere, minime eos fugit. Neque aliter fieri potuit, quam ut duas et diversas quidem ingredirentur vias, quarum prima praesertim continuo patuit.

Arte dialectica enim veritatem, ab Ecclesia acceptam, exponere, subinde explicare viri docti illius temporis studebant. Quomodo autem id aggressi sunt? Duobus modis initium facere potuerunt, ab ipsa veritate tamquam data materia; deinde ab aeternis, ut ferebantur, intelligentiae principiis. A quibus principiis quodsi inceperunt, omnia quae necessaria in intellectu reperiuntur, revera etiam adesse statuerent, omnino necesse erat. Nihil individuum in intellectu inveniri quisquam agnoscit; universales igitur nobis insunt notiones, v. c. ut solitis hujus aetatis vocibus utar, deitas, humanitas, caetera; ab universalibus ad singula procedendum. Constabat igitur universalialia non tantum in intellectu, sed in natura omnino adesse. Haec autem via quin continuo pateret, nullus dubito. Nihil enim

aptius, nihil penso huic periodo imposito magis congruum, quam in dialectice ratiocinando ex ipsa hominis intelligentia, tamquam cognitionis fonte haurire; e quo autem hauriri non potest, nisi universales notiones nobis inditae, ipsi veritati respondeant.

Incipi tamen etiam potuit ab Ecclesiae theologia, tamquam a data materia; nec mirum sane, adversus Realistas Nominalistas exstitisse, quippe qui a singulis initium fecerint, nec universalia pro alio habere potuerint, quam cogitationis vanas distinctiones. Realistae vero aequae ac Nominalistae doctrinae catholicae fidem habebant, quam ad intellectum ut eveherent strenue conabantur. Ratio autem, qua usi sunt, diversa in eo maxime conspicua est, quod Realistae ab intelligentia disquisitionem inchoantes elaborarent, ut logices viam ingressi, reperirentur quae fides antea docuerat; Nominalistae contra, ab iis, quae empirice agnoscere debuissent, proficiscentes, dissolutiore quodammodo animo ratiocinarentur, nec minus Christianae veritatis confirmandae studiosi.

Utraque igitur ratio, ut vidimus, cum totius periodi indole arcte erat conjuncta. Christi enim religio barbaros devincens non simul ad summum animi cultum eos ducere potuit. Ecclesiae auctoritate primum Evangelio crediderunt barbari; deinde autem, ratione usi, habitam fidem tractare cupiebant. Duae permanserint partes necesse erat, quarum una nimirum veritatem qualicumque modo conservare studebat, altera, quae in veri indagatione artem quodammodo adhibebat criticam. Dissensio enim Realistas inter et Nominalistas, hac quidem periodo, animos ita divulsit ut, exempli gratia, Godefriedus se Roberti *Melodensis* discipulos contumeliose tractantem

defenderit animadvertendo illos nominalismum sectari,
"IGITUR PRO NIHILO" censendos esse¹⁾).

Haec autem pugna non ad illa remotiora tantummodo spectat tempora, at vero recentiore aetate viguisse, quin vel adhuc vigere dici potest, ut quoque patet ex iis, quae Vir Cl. J. H. Scholten in libro qui longe meas superat laudes, egregie monuit²⁾).

E dictis conficimus nullum profecto philosophum philosophari posse, nisi de alterutro cognitionis principio accurate profiteatur sententiam. Quod etiam affirmat historia, nos diserte docens Hobbesium, Cartesium, Leibnitzium prae caeteris, Lockium, Humium, alios, ne recentiores enumerem, hac in re semper occupatos fuisse³⁾).

1) Ingeniose monet Dégérando *Histoire comparée des systèmes de philosophie*: "La dialectique tint lieu de la philosophie entière, et l'instrument de la science fut pris pour la science elle-même. On croit voir dans les scolastiques de ce tems des artistes absorbés par la construction et le jeu des machines, on croit voir un immense appareil de leviers se mouvant et s'agitant dans le vide."

2) *Leer der Herv. kerk*, 2^e Ed. Dl. I. blz. 207: "Hetzelfde vraagstuk betreffende de objectiviteit der menschelijke kennis, was ook in de middeleeuwen de grootste spil, waarom de nominalistische en realistische verschillen zich bewogen. Moest aan de begrippen, die de rede zich vormt, eene objectieve, reële waarde toegekend worden, onafhankelijk van het menschelijk weten, of slechts eene subjectieve, nominale waarde? Het verschil van standpunt, ofschoon in den aanvang op kleingeestige en spitsvondige wijze toegepast, was inderdaad aanmerkelijk, en *van ver witzende gevolgen* op het gebied der godgeleerdheid en der wijsbegeerte....
..... Volgens het realistische standpunt was dus de bovenzinnelijke wereld toegankelijk voor de menschelijke rede, terwijl het nominalisme geen andere kennis toeliet, dan die het gevolg was van eene physisch-zinnelijke waarneming."

3) *Elements of the philosophy of the human mind*, chap. 4. Leibnitzii, e. g. omnino conferatur dissert. prelim. ad Marii Nizolii *librum de veris principiis*, caet.; nec minus Duguald Stewart.

Hujus tamen loci non est, haec uberius explicare. E specimine, ut spero, satis elucebit pugnam, de qua jam verbo monuimus, maximi esse momenti. Illius enim pugnae historiam, Theologiae tantummodo, quantum fieri poterit, ratione habita percurrere conabor. Variarum sententiarum, varia placita exponenda sunt ad quae cum realismi, tum nominalismi principia pertinere videntur. A partium studio alienum egregios, qui medio floruerunt aevo, viros singulos me contemplaturum, eorum doctrinam prudenter atque modeste examini submissurum fore vehementer spero. Hujus libri lectores, si aderint, semper in memoriam revocent, nihil nisi *specimen* iis proponi. Ne a juvene exspectent quae Theologus, plurima edoctus, praestare possit. Plenam hujus temporis historiam accurate atque ex ipsis fontibus petitam enarrare opus foret, cui nec me sufficere, nec me parem credere possem. Qua de causa tamen non aliud mihi elegerim argumentum, arctioribus circumscriptum terminis, si quis scire cupiat, breviter respondere possum, me sperare fore ut hoc specimen quamvis theologiae disciplinae non inserviat, mihi ipsi tamen maximopere prosit. Momenta, quae supra monui, animum duxisse confiteor ad Scholasticae periodi gravissimam pugnam, quod summam attingat rerum, deliniendam.

Cum benevolentia igitur accipiantur quae diligenter conscripsi, iterum iterumque rogo. Una, ad quam adspiro laudem, haec est quod Viri docti censeant, me de dignissimis viris rebusque non prorsus indigne scripsisse.

CAPUT I.

DE SCHOLASTICORUM PERIODO.

SECTIO I.

Initii hujus periodi facies.

Antequam ad ipsum tractandum argumentum transeamus, temporis rationem cum historicam, tum philosopham brevi in conspectu ponamus necesse erit. Quae si negligimus, Real. et Nom. pugnae neque indolem accurate cognoscere poterimus, nec pretium, ut par est, aestumare. Primum igitur perstringamus quae historia afferat ad hujus temporis faciem depingendam ¹⁾. — Notandum procul dubio mihi videtur, genus humanum medio aevo adeo

1) In antecessum memoremus quae pulchre scripsit Dégérando. His enim verbis hujus temporis elucet ratio. «En effet le propre de la philosophie scolastique est d'avoir offert à son berceau toutes les rides de la vieillesse, et de s'être ensuite rajeunie, en quelque sorte, de jour en jour.»

inverso progressum esse ordine, ut ab eo inciperetur quod humanitatis culmen haberent antiqui. Apud antiquos nimirum phantasia, poesis, pictura caet. graviora antecesserunt philosophemata; Logica et dialectica ars, omnium eorum operum postrema excultae sunt. Recentiores vero populi ét a logica ét dialectica ab arte continuo initium fecere. Toti in abstrusis quaestionibus, quae nec ad vitae usum, nec ad animi emendationem proficere potuerunt, non nisi pedetentim pergebant ad artes liberaliores excolendas. Nam hujus temporis conditionem admodum barbaram incultamque videbis, quum artes attendas et universum animi cultum. Neque est quod valde miremur. Duae nimirum caussae adesse videntur. Una in anteriori aetate latet. Patres Ecclesiae Ethnicis, ubi potuerunt, adeo sese opposuerunt, ut quae ab his laudari solerent, ab illis prorsus spernerentur. Ab artium cultu maxime, a partium studio minime eos alienos fuisse, admodum ridicule et facete probant quae de Gregorio primo narrantur, cujus historiam nobis tradidit Johannes Diaconus¹⁾. Hic enim Papa diserte monet, se barbariem numquam evitare, nec regulas e. g. Donati servare posse, quas ut divini oraculi verbis moderentur indignas censet; nec mite reprehendit Didierium Episcopum, qui grammaticam explicasse ferebatur. Gregorium enim quum audire velimus, non eodem ore, neque eadem lingua Jovis et Christi extollere possumus laudes²⁾. Neque in admonitionibus substitit; quin etiam Titi

1) *St. Gregorii papae vita* auctore Johanne Diac: lib. 4. praeb. ad lib. moral. deut. 16.

2) Cf. Ep. 54. lib. II. S. Gregorii registri Epistolarum.

Livii omniaeunque, quibus potiri potuisset, exemplaria urenda jussit, qua re, Antonio auctore, de Ecclesia et religione optime meruit ¹⁾).

Aliud addamus exemplum. Zacharia papa, quidam pontifex, quem nonnulli nullum alium nisi ipsum papam ducunt, per longum tempus baptizandi formulam sic recitasse dicitur: Ego te baptizo in nomine Patria, et Filia et Spiritus sancti ²⁾).

Altera autem causa novorum populorum invasio jure habetur. Gothi quamquam, Theoderico inprimis duce, jam Christianismo imbuti, nec tam duriores fuerunt ut fuisse plerumque dicuntur; quamquam leges, ab iis constitutae, quominus dira despotismi saevierit libido impediebant, Longobardi tamen, Alboinus prae ceteris, omnem Italiam ignorantiae caligine implerunt. Deinde nullum adfuit Romanorum institutum quin a Barbaris deletum sit. Illustrissimae illae scholae Massiliae, Parisiis, Toleti, aliae, pessumdatae sunt. Ex illa barbarie nonnisi pedetentim ad humanitatem redire potuit aevum. Versus octavum autem saeculum illa incepit mutatio rerum, quam Carolus magnus ad finem perducturus erat.

Antequam vero hanc memoremus, debitas tribuamus laudes Isidoro Hispalensi, qui jam anno 656 mortuus, prae omnibus sui temporis viris, doctrina et pietate excelluisse videtur. Maxima ejus operum pars de grammatica agit; hanc enim artem, quum caeteras prorsus spernat, optimae frugis habendam censet, quippe quae ad veram vitam usui esse possit. — Uno fere saeculo post, Beda

1) Cf. S. Anton: summ. p. 4. lit. 2. cap. 4. § 3.

2) Ep. 134. Zach. rev. et sanct. frat. Bonifacio coepisc.

Venerabilis fato defunctus est, in Britanniae parte septentrionali natus. Nonnulla Sacri Codicis in popularium linguam vertisse, Vulgatam versionem cum Graeca, septuaginta cum texto Hebraico contulisse, nec minus piorum, qui de Anglica bene meriti essent Ecclesia, virorum vitam conscripsisse narratur¹⁾.

Sed, ad Carolum Magnum redeamus.

Summus ille vir, aetatis emendandae cupidus, Petrum a Pisa et Paulum Warnefriedum in suam accivit aulam, qui cum Alcuino, aliisque nave e Scotia dilatis, scholas condiderunt. Unum ex Caroli diplomatibus, quod memoravit Haureau in egregio opere: De philosophia scholastica, sic se habet: „Quia curae nobis est ut nostrarum Ecclesiarum ad meliora semper proficiat status, oblitteratam pene majorum nostrorum desidia satagimus officinam, et ad pernoscenda artium liberalium studia nostro etiam incitamus exemplo.” Tum vero episcopales ortae sunt scholae, bene multae aliaeque in quibus a coenobitis literae tradebantur. In palatii schola Alcuinus, J. Scotus philosophiam docebant, ibique etiam primum dialectica ars informabatur. Post eos Maunon floruit, qui Platonis Aristotelisque nonnulla scripta in latinum vertisse dicitur, quod tamen non satis probari potest. Illius autem scholae philosophia ita inclaruit, ut decimo saeculo „*imperialis*” vocata sit.

Haec tamen palatii schola non cuivis, sed imperatoris tantummodo domo patuisse videtur, doctoribusque, imperatorem ubivis comitantibus, usque ad nonum fere

1) Cf. H. Gehle, *de Bedae Venerabilis vita et scriptis*. Lugd. Bat. 1835. qui optime illius temporis refert rationem.

saeculum, quum tamen praecipue Parisiis haberetur ¹⁾. Hoc vero tempore inter artes *dialectica*, inter disciplinas *musica* habebatur, quod satis probat catalogus a Trithemo confectus, ubi unum duove tantummodo scripta de Arithmetica, Geometria, Astronomia memorantur, quum permulti recensentur libri qui musicam tractant. Informabatur nihilominus et trivium et quadrivium, de qua distinctione verbo monere hic fortasse optimum erit, luculenter manifesta in illo disticho:

Gramm loquitur, Dia verba docet, Rhet verba colorat,
Mus canit, Ar numerat, Geo ponderat, Ast colit astra.

Artes inter et disciplinas quaedam distinctio etsi jam Platoni Aristotelique quodammodo nota fuit, ut recte monuit Isidorus Sevellensis, Philoni tamen *Judaeo* tribuenda esse videtur, licet multis nominibus differat ab illa, quae medio aevo vulgo erat accepta. Nec audiendus Brückerus ²⁾, Augustinum memorans hujus distinctionis auctorem. A veritate autem non procul abesse videtur Haureau, qui simpliciter Martianum Capellam hujus divisionis statuit inventorem, quippe qui eam secutus sit in libro conscribendo, nomen satis inusitatum prae se ferente: *satyricon, sive de nuptiis inter Philologiam et Mercurium et de septem artibus liberalibus*.

Quamquam disciplinae honorem recuperassent, quo apud antiquos gavisi fuissent, Theologiae tamen adhuc mancipatae erant; cujus imperio, in dies magis, se subtrahere conabantur. Marconis Polonis itinera, nec

1) Cf. Haureau l. l. I. p. 16.

2) Hist. crit. phil. t. III. p. 957.

minus quae de monachis memorabantur, in septentrionalis Asiae locis disertis Christi religionem propagantibus, alia, cognitionem mundi adhuc detecti maxime amplificabant. Acus magneticae nautarum, telescopiorum, pulveris pyrii inventio novas naturae vires revelare videbatur. Ubivis aperiebantur scholae, ubi singulae, sicut medicinae, juris, informarentur doctrinae. Quomodo vero de medii aevi literarum studio judicandum sit, docte indicant verba Alexandri v. Humboldt¹⁾. Astronomia e. c. fere omnis in Astrologiam abiit; qui hujus artis periti erant haruspibus haud dissimiles habendi sunt, ut Muratori, in libro: *scriptores rerum Italicarum*, passim ostendit²⁾. Poëtarum hujus temporis carmina longe distant ab iis quae antiquorum cecinit musa, nec raro admodum claudicant. Oratio pedestris subtilibus atque inanibus grammaticis se subjecit regulis et prima fecit conamina in historia conscribenda, in legibus colligendis. — Architectura a priscis legibus antiquae puritatis magis magisque deflexit; simplicioris pulchritudinis locum vana occupabant ornamenta. Mercatura autem floruit; ejus conata in dies augebantur. Artes quaestuosae, venia a magistratibus concessa, sedulo excolebantur. Jure feudali favente, agricultura rudes emollivit mores, nec qui a servis liberi facti essent sivit esse feros. Aderant Papae, novum animi cultum tuentes, ut Innocentius IV (Saec. 13) licet disciplinae juris, prae caeteris nimis excoltae, invidiosus

1) *Kosmos II*: Alchymie, Zauberkunst und mystische Fantasien, durch scholastische Dialectik jeder dichterischen Anmuth entblösst verunreinigen im Mittelalter die wahren Resultate der Erforschung.

2) Cf. T. VIII. 83, 238. IX. 660 alibi.

esset; porro, Urbanus IV, qui Thomam *Aquinatem* Romae docere curavit. Clemens IV Baconi praestitit. Innocentius V orator habebatur et metaphysicus minime contemnendus; Johannes XXI librum de logica conscripsit, qui admodum inclaruit. Neque amplius reges literarum studia spernebant. Fredericus II. magistrum suum scrinii epistolarum nonnulla antiquorum, quin Aristotelis fortasse, opera vertendum curavit. Thomas *Aquinas*, Vincentius *Bellovacensis*, Caroli Sancti benevolo utebantur hospitio. Aegidius *Colonna Philippi Temerarii* informabat filium, et univere Franco-Gallica aula academiae, Parisiis conditae, donis favebat munificentissimis.

Hujus autem paparum, imperatorumque tutelae, libros in dies magis augeri optimus erat fructus; ita ut qui primum Aristotelis organo, et Dionysii *Areopagitae* scriptis operam dederint, primi haberi possint Scholastici. Nec negligamus hic jam verbo memorare multos id temporis, Maurorum disciplinas Tolosae et Cardovae adire solere; Arabumque philosophiam, de qua infra uberius videbimus, quam plurimum valere, Avicennae et Averrhois scriptis in linguam Latinam conversis. Omnium unum in memoriam revocemus Mosen Maimonidem, cujus etiam opera, Maurorum innotuit doctrina, et qui inter Judaeorum maximos philosophos jure habetur. Quamquam Platonis scripta, et Procli libri explicabuntur, Aristotelis tamen fortuna prosperrima erit. Hic enim non tantum e versionibus, sed etiam ex ipso textu innotescebit.

Vereor ut nimis brevis sit hujus temporis conspectus: quoniam vero ad ipsum argumentum pertractandum no-

bis properandum est, his prolegomenis diutius subsistere non licet; spero tamen fore ut ex historicis, quae attuli, initii inprimis hujus aetatis indoles catenus elucescat, quatenus opus erit, ad ipsius Scholasticismi rationem recte intelligendam. De nullius enim qualiscumque periodi philosophia umquam judicare poterimus, nisi et ejus artium disciplinarumque conditionem animadvertamus. Sed de ipsa philosophia scholastica jam videamus.

SECTIO II.

Philosophiae Scholasticae Indoles.

Quod nomen *Scholasticus* attinet, Petronum Latinorum primum hac voce usum esse, in praefatione ad librum Tribbechovii, de doct. scholast., testatur Haureau. Postea a Quintiliano usurpata est ut ejus temporis rhetores designarentur, Serapioni etiam tributa, tamquam honorifica appellatio.

Continuo post scholas aevi apertas omnes, qui juventutem docerent, Scholastici vocati sunt. Quo factum est ut, recte monente Haureau, singulae eorum disciplinae hoc nomine significarentur, ut exempli causa: theologia scholastica, historia, philosophia scholastica. „Ita fere usus,” ut scribit L. Danaeus, „communisque ratio loquendi jam obtinuit, ut qui inter pontifices homines se in religione profitentur aliorum doctores, citra convitium, aut contumeliam ullam, vulgo *Doctores Scholastici* vocentur. Quam appellationem nec ipsi dedignantur, nec habere per se ullam probri significationem omnes,

facile concedunt." Sed haec minoris sunt momenti. Ipsius philosophiae indoles longe severiorem postulat indagationem.

Nostrum autem nemo habebit hic jam historiam narrare quae vix aut ne vix quidem a fati Realium Nominaliumque pugnae divelli potest; quod tamen quum fere omnes concedant, minime impedit quominus Scholasticismi rationem separatim consideremus. Quaeritur enim, quodnam cum hujus philosophiae, tum theologiae fuerit principium movens. Huic quaestioni nullo modo melius responderi posse videtur, quam ipsius Anselmi verbis. In ejus libro: *Cur Deus homo* c. II. legimus: "sicut rectus ordo exigit ut profunda Christianae fidei credamus, priusquam ea praesumamus, ratione discutere: ita negligentia mihi videtur, si postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus, intelligere" 1). His egregie conveniunt quae jam ante Anselmum dixerat Scotus Erigena: "Non alia fidelium animarum salus est, quam de uno omnium principio quae vere praedicantur, credere et quae vere creduntur, intelligere" 2). Ex his jam satis elucet quae significare volui, Scholasticos nempe id in primis studuisse ut Ecclesiae intelligerent placita. Nova haec γνώσις omnis hujus theologiae scopus erat et finis. Nec sane mirandum est hunc finem eos sibi proposuisse. Nullum enim discrimen adesse posse sumserunt ea inter, quae humanus doceat intellectus, et fidei placita. Sapientiam,

1) Conferantur etiam: prolog. c. I. de in carn. verbi c. 2. Quae autem illustrantur per illud Clementis Alexandrini: *Strom.* VII. c. 10. 3.

ἡ γνώσις ἀπόδειξις τῶν διὰ πίστεως παρελημμένων ἰσχυρά καὶ βέβαιος.

2) De div. nat. II. 61. cf. de praed. p. 129.

illam Scotus Erigena dicit virtutem, „qua contemplativus animus sive humanus, sive angelicus, divina, aeterna et incommutabilia considerat.” Hominis igitur intelligentiam divinae veritatis, ab eo sicut a caeteris, quoddam habebatur speculum. „Omne” ut ejusdem Scoti verbis utar „omne, quod intelligitur et sentitur, nihil aliud est, nisi non apparentis apparitio, occulti manifestatio.” Haec autem rerum divinarum cognitio minime, ut apud Gnosticos, paucis tantummodo propria habebatur, nam veram philosophiam veramque religionem verba ejusdem prorsus significationis habebant. Nec minus quam Anselmus, caeteri acquiescere potuerunt in veritate, fide tantummodo amplectenda. „Naturaliter,” ut Thomas *Aquinas* in libro: *contra gentiles* ¹⁾ scribit, „naturaliter inest omnibus hominibus desiderium cognoscendi causas (quae Aristotelis respondent verbis) Nec sistit inquisitio, quousque perveniatur ad primam causam et tunc perfecte nos scire arbitramur, quando primam causam cognoscimus. Desiderat igitur homo naturaliter cognoscere primam causam, quasi ultimum finem. Prima autem omnium causa Deus est. Est igitur ultimus finis hominis cognoscere Deum.” Quantum autem hominis intellectui ad Deum cognoscendum tribueretur, perspicue docent, quae scripsit Raymundus e *Sabunda* ²⁾: „Duo sunt libri nobis dati a Deo, scilicet liber universitatis creaturarum sive liber naturae, et alius est liber sacrae scripturae. Primus liber fuit datus homini a principio, dum universitas rerum fuit

1) 25, 6; 8.

2) *Theol. Nat.* Prolog.

condita, quoniam quaelibet creatura non est, nisi quaedam littera, digito Dei scripta, et ex pluribus creaturis, sicut ex pluribus litteris componitur liber. Sed tamen primus liber est omnibus communis, sed liber scripturae non est communis, quoniam solum clerici legere sciunt in eo. Primus liber non potest falsificari primus est nobis connaturalis, secundus supernaturalis." Hoc autem intelligendi studium, ut jam vidimus, religioso nitebatur fundamento; licet non omnes his pulchris Johannis Scoti assensi sint verbis: "sed haec altius ac verius cogitantur, quam sermone proferruntur, et altius ac verius intelliguntur, quam cogitantur, altius ac verius sunt quam intelliguntur, Omnem siquidem intellectum superant;" omnes tamen codicem sacrum tanquam fidei normam verebantur. Neque alia ratione sese inventuros putabant veritatem, quam quae a Deo jam esset patefacta. Vera enim auctoritas, secundum eos, rectae rationi non obest, neque recta ratio verae auctoritati. "Ambo siquidem ex uno fonte, divina videlicet sapientia, manare dubium non est."

Sed de ipsa Scholastica universe philosophia amplius monere non licet; longe melius erit de uno hujus aetatis videre doctore; cujus doctrinam Scholasticam rationem plane referre contendimus. De Abaelardo¹⁾ nimirum nunc paullo accuratius dicamus. Reponit fortasse quis, Abaelardum nimis ab Ecclesia aberrasse, quam ut hujus theologiae specimen haberi posset. Quum tamen a partium studio alieni ejus doctrinam cognoverimus,

1) Vide: Rémusat, Abelard; *Real-Encyclopaedie*, quam edidit Herzog, in voce, aliosque infra laudandos.

Abaelardum non tantum non haereticum censi posse, sed eum eandem omnino viam ad veritatem cognoscendam ingressum fuisse ac omnes, qui vere Scholastici dicantur, doctores, sponte approbit. Accedit quod Abaelardus neutram sui temporis partem secutus sit. Ille enim neque inter Realistae, nec Nominalistae doctrinae sectatores est recensendus, ut infra ulterius exponemus. In Abaelardo igitur, quantum fieri liceat, theologiam medii aevi a philosophia sejunctam considerare poterimus, quum in aliis Scholasticis audiendis semper sit quaerendum, utrum Realistae habeantur, an Nominalistae. Postremo, hanc ob causam Abaelardum ad theologiam hujus aevi illustrandam idoneum censuimus, quippe qui Bernardum *Clarevallensem* mysticum, adversarium habuerit. Ex illo enim mysticismi et scholasticismi discrimine, quod apud utriusque auctores, aut saltem patronos satis acutum animadvertimus, illius quidem judicandi levitas, hujus autem vera indoles conspicua erit. De singulis autem videamus.

Petrus Abaelardus prope Sect. Nizarem anno 1079 natus, non Marti, sicut pater voluerat, sed Minervae se dedit. Omnes scholas adiit clariores. Parisiis inprimis in litteras incubuit, et Gulielmo a *Campellis* usus est magistro. Postquam ipse inceperat sententiam profiteri, novis dubiisque verbis Ecclesiam offendisse videtur. Bernardus *Clarevallensis*, omnium ejus adversariorum primus, eum damnari curavit. Versus vitae finem, animo infelici amore, odio multitudinis defesso, in Cluniacensi abbazia ultimos degit dies, et apud Petrum Venerabilem, cujus de Abaelardo post ejus mortem, anno 1142, testimonium in omnibus viri meritis

recte ponderandis, minime negligendum videtur ¹⁾. De ipsis autem viri principiis diserte agamus. Mihi ipsi habeo quod gratuler, non opus esse ut, me tantum iudice, Abaelardum summum proponam theologum. Laetor sane, Viros Clarissimos hac in re mihi assentientes habere. Hase enim, ut aliquos tantummodo memorem, in egregio opere: *Kirchengeschichte*, Cousin, in praeclara praefatione ad Abaelardi opera, quae ipse edidit, Arnold, in libro: *Kirchen und Ketzerhistorie* ²⁾, eum prae caeteris excellentem agnoscunt. Nostrum autem erit indicare, quatenus Scholasticus revera vocandus sit philosophus. Ab Ecclesia nimirum Catholica orthodoxa perniciosus habetur haereticus. Nec Ecclesiae ita visum esse miror. Nec dissentiremus ab Ecclesiae sententia, sin arctissime cohaerere, quae antea quidem divulgata viderentur, certum nobis esset. Neque enim de Abaelardi, nec de Ecclesiae sententiam ferre poterimus theologia, nisi quae egregie monuit Cousin in praefatione jam supra laudata, probe teneamus.

Dicit enim ³⁾: philosophiam medio aevo pugnam esse Christianismum ipsum inter, et formam aliunde sumtam. Omnino huic philosophiae duo insunt principia, sibi invicem repugnantia. Hominis intelligentia nempe

1) Qui plura de Abaelardi vita scire cupit, adeat: Gervaise, *Vie de P. Abélard et de Heloise*, qui nimis fortasse ejus extulit laudes; Frerichs, *de Ab. doct. dogm. et moral.*, Jen. 1727. Goldhorn, *de summis principiis Theol. Ab.*, Lips. 1836. Victor Cousin, *Oeuvres inédits d'Abélard*. Léwald, *de opp. Ab.* quae Cousin ed. Heidelberg, 1839. Carière, *Ab. re Hel.* 1844.

2) Bd.I. Buch 2. Cap. 5. § 7.

3) On pourrait avec une parfaite vérité, définir, la philosophie du moyen-âge: *la lutte du fond Chrétien avec une forme étrangère.*

eadem prorsus fruitur auctoritate, ac scriptura sacra. Quam ut tollerent discrepantiam quotquot conata instituerint Ecclesiae doctores, omnia eo duxerunt ut alterutrum negaretur. Haec pugna in Abaelardo quoque conspicua est. Sed cum ipsum audiamus. „Nihil esse credendum nisi prius intellectum,” statuit. Sic enim argumentatur: „Si enim cum persuadetur aliud ut credatur, nihil est ratione discutiendum, utrum ita scilicet credi oporteat vel non: quid restat, nisi ut aequae tam falsa quam vera praedicantibus acquiescamus.” Memorentur etiam verba, in quae postea vehementer saevit Bernardus ¹⁾: „Vix enim qui leviter credit, firmus in fide permansit: nec quod levitate geritur, stabilitate firmabitur. Unde et in Ecclesiastico scriptum est: Qui credit cito, levis est corde, et minorabitur. Cito enim sive facile credit, qui indiscrete ac improvide his, quae dicunt, prius acquiescit, quam hoc, ei quod persuadetur ignota ratione, quantum valet discutiatur, an scilicet adhiberi ei fidem conveniat.” Temere sane loquitur Abaelardus, suo ingenio nisus, et omnem qualemcumque auctoritatem spernere videtur. Nec suae audaciae inscius est. A teneris enim se in dialectica occupatum fuisse narrat, unde nihil sibi latere posse conficit. Ne putes autem Abaelardum secundum principia ratiocinatum esse, quae ipse posuerit. Quod si fecisset, magna revera clade Ecclesiam affecisset. Sed alteram quoque audiamus sententiam, qua audita, Abaelardum non plane sibi constare licet concedatur necesse sit, tamen de Bernardi controversia judicare poterimus. Addit Abaelardus

1) l. l. p. 1060.

diserte¹⁾, „In quo quidem opere si culpis meis exigentibus a catholica, quod absit, exorbitavero intelligentia vel locutione: ignoscat ille mihi, qui ex intentione opera pensat, parato semper ad satisfactionem, de maledictis vel corrigendis vel delendis, cum quis me fidelium vel virtute rationis vel auctoritate *scripturae* correxerit. Non enim ignorantia haeticum facit, sed superbiae obstinatio”. Horum autem vim enervare studuerunt nonnulli²⁾ animadvertendo, Abaelardo fidem non esse habendam. Quamobrem, quaeso, ei tantummodo crederimus rationi, non vero ei scripturae auctoritatem tribuenti? Quoniam alterum alteri repugnat? Ne igitur omnem Scholasticorum theologiam, Christiano fundamento niti positivo, concedamus! De hac enim non aliter, quam de illis iudicandum est. Omnis scholasticismus, sicut Abaelardus, fidem numquam debilitari posse ita sibi persuasum habuit, ut ab omnique rationis principio initium faciendo, per dialecticam viam, veritas invenienda esset. Quum autem unius alteriusve principii sequelae Ecclesiae theologiae oppugnare subito viderentur, ad ipsam scripturae auctoritatem continuo redire solebant, ne ab ipsa veritate deflecterent. Sic Abaelardus, in Introductione, docte agere de dogmate Christiano, disertis verbis, ut vidimus, sibi vindicat, libri vero tertii „Theologiae” initio, artem dialecticam quae alterius, quam pro fide licet, procedat, vehementer impugnat, acsi orthodoxorum doctorum unus esset.

1) Introd. 794.

2) Vid. e. c., diarium: *Tubinger Zeitschrift für Theologie*, 1840, 4te Heft.

Nunc tandem dijudicetur, utrum merito Bernhardus de Abaelardo scripserit, necne, quae legimus in ep. 188 ad Cardinales: „irridetur simplicium fides, eviscerantur arcana Dei, quaestiones de altissimis rebus temerarie ventilantur, insultatur Patribus, quod eas magis sapiendas, quam solvendas censuerint. Omnia usurpat sibi humanum ingenium, *fidei nil reservans.*” Nec sane erat, quod Innocentium II certiore faceret, in Francia novum vigere magistrum Theologum, „qui ab ineunte aetate sua in arte dialectica lusit, et nunc in scripturis sanctis insanit.” Haec enim, ni fallimur, Bernardi in Abaelardo vituperando culpa erat, quod non meminerit huic theologo aequae ac omni Scholasticismo eadem esse principia; quibus autem principiis doctrina Ecclesiae numquam corrumpi posset. Sacrae scripturae summa auctoritate tributa, theologis liberius de rebus sacris philosophari licuit; imprimis quum hujus temporis methodus exegetica admodum laxa esset. Abaelardus, e. c. triplex Sacri Codicis interpretandi genus adhibuit: historicum, morale, allegoricum. Quidquid enim ratio doceret, quolibet modo, sacrae scripturae effatis accommodari poterat. Nec tamen eum putetis aliquatenus semper hac scripturae nixum esse auctoritate; eam nonnumquam aliquatenus rejecisse videtur. Quaestioni, utrum Deus id solum facere possit, quod aliquando facit, affirmando respondit, licet ipse addiderit, hanc opinionem „paucos aut nullos (habere) assentatores et plurimis dictis Sanctorum et aliquantulum a ratione dissentire (videri).” Quae autem Sacra Scriptura non diserte docet, traditione Christiana amplificanda, illustranda sunt. Evangelium quidem omnia continet „quae

ad verae justitiae formam et ad animarum salutem” sufficient; Ecclesiae progressus ad ipsius „decus vel salutis amplificationem,” inserviant, necesse est. Nullus tamen alius fons veritatis, ex quo quum haurimus, numquam falli poterimus, habendus est, quam scriptura sacra; quam, licet nonnulla continere videatur, sibi invicem adversantia, nequaquam tamen, sine magno damno, negligere possumus. Nec tantum Codici Sacro summam tribuit auctoritatem; Patres etiam Ecclesiae multum apud eum valuerunt. Libro, quod nomen prae se fert: Sic et Non, Patres Ecclesiae omnibus in rebus inter se convenisse indicare studuit. Quae apud eos a se invicem differre videantur, sicut in sacra scriptura, ex accidentibus explicanda sunt. Minime igitur audiendus est Clement, qui hunc librum ab Abaelardo nulla alia mente scriptum esse putat¹⁾, quamut eruditionem suam ostentaret. Hic enim liber non separatim a Scholasticae theologiae indole considerari potest. Multo magis liber²⁾,

1) Que pour faire une vaine parade de son erudition.

2) Librum primus edidit Vir. Cl. Cousin, qui in suae editionis praefatione animadvertit: „Pour convertir les dogmes en démonstrations, il faut d’abord en faire des problèmes, et il faut poser ces problèmes avec le pour et le contre, avec des solutions contraires tirées d’autorités presque égales, avant d’établir soi-même la véritable solution. C’est ce qu’a fait Abélard dans un ouvrage original et hardi qui représente et resume toute sa methode théologique. Cet ouvrage est le fameux *sic et non*.” Quae egregie conveniunt cum effatis ipsius Abaelardi, p. 16 hujus ed. — Hic igitur liber scholasticam spirat indolem, licet, medio aevo, semel tantummodo laudetur a Guilielmo de Thierry, et in Praef. tom. IV. Thesaur. nov. anecdot, dicatur opus „quod aliquando publici juris facere cogitaverat noster Dacherius, verum serio examinatum aeternis tenebris potius quam luce dignum de virorum eruditorum consilio existimavit.”

Sic et Non explicare mihi videtur omnem hujus aevi rationem.

Quantum Abaelardus omnia, quae a scriptura discederent, tollere studuerit, ex iis quae de philosophis monet, facile intelligimus¹⁾. „Hoc quippe loquendi genus philosophis quoque, sicut et prophetis familiarissimum est, ut videlicet, ad arcana philosophiae cum veniunt, nil vulgaribus verbis efficiant, sed comparationibus similitudinum lectorem magis alliciant...” p.1032: „si quis autem me quasi importunum ac violentum expositorem causetur, eo quod minus propria expositione ad fidem nostram verba philosophorum detorqueam, et hoc iis imponam, quod nequaquam ipsi senserunt, attendat illam Caiphæ prophetiam; quam Spiritus Sanctus per eum protulit longe ad alium sensum eam accommodans, quam prolator ipse senserit.” Quod ad haec etiam attinet, ab omni parte Scholasticus est. Ethnicam enim philosophiam Christi religioni veluti adaequare, totius hujus aetatis erat propositum.

Non opus erit ut diserte moneamus, Abaelardum nec Realistarum, nec Nominalistarum partes secutum fuisse. Utinam ex ejus scriptis nonnulla tamen afferre possemus, quibus, quod initio statuimus, ulterius probaretur! Realium et Nominalium refutatio invenitur in libro: *de generibus et speciebus*, cujus auctorem Cl. Cou-

Saepius enim historia nos docet, philosophiam sive Theologiam qualemcunque, omni tempore, repudiasse quae sua placita nimis aperte et manifeste indicassent. Ad Abaelardi theologiam cognoscendam, quatenus prae illa, quae id temporis florebat, eminuerit, omnino prologus animadvertatur.

1) Introd. p. 1024.

sin, Abaelardum fuisse censet. Cum eo tamen, quamquam non nisi dubitanter a summo viro discedere possumus, non facimus, post lectum Ritterum, qui omnia Cousini argumenta accuratiori examini submittebat, hunc librum Abaelardo tribuendum esse negat.

Unum in primis argumentum nullius prorsus esse momenti Ritterus satis probavit. Animadvertit enim Cousin, Gulielmum a *Campellis* auctoris magistrum vocari; quod minus recte monitum videtur. Gulielmus enim non *auctoris* tantummodo, sed universe magister appellatur, quo titulo omnes fere illius temporis doctores honorabantur. Accedit quod Johannes Salisburiensis Abaelardi doctrinam a conceptualismo accurate discernat. Deinde hujus libri genus scribendi, ut Ritterus animadvertit, ab illo, quo Abaelardus uti solet, quam maxime differt. Ex his aliisque, quae praetereo, argumentis conficiendum censet Ritterus hunc, qui dicitur *de generibus et speciebus*, librum, ineunte saeculo duodecimo absolutum fuisse, atque hujus saeculi placita in primis spectare. Utrum vero Joscelinus libri, de quo nunc agimus, auctor habendus sit, non possumus dijudicare. Haec tamen Ritteri expositio minime negligenda mihi visa est, quippe quae impediatur, quominus Cousinum sequamur, nonnulla ex libro: *de generibus et speciebus* laudantem, ad Abaelardi, quam hac de re protulit, sententiam illustrandam ¹⁾.

Haec autem sufficiant ad Scholasticae periodi indolis cognitionem. Superest ut *causam* quaeramus, quae ejus ortum satis explicet, deinde libere profiteamur,

1) Conferantur tamen quae infra de eodem libro dicturus sum.

cujusnam *momenti* haec Scholasticorum theologia habenda sit.

Quod *causam* attinet, probe tenendum videtur scitum illud Viri Clarissimi Opzoomer, statuentis, in rebus moralibus nihil per se existere¹⁾. Quod cum universe valeat, tum imprimis in philosophiae ac theologiae historia pertractanda. Omnia enim hic ita arctissime conjuncta sunt, ut quaeque periodus, quaeque schola e praecedenti explicari debeat. Lex enim quae causam inter et sequelam obtinere solet, hic quoque viget. Exemplum e vita communi petere liceat, quod nisi egregie fallor, optime, quod mihi volo, illustrare poterit. Vir ven. Heldring in memoria sua de Asylo, quod mulieribus aperuit, quae mores emendare cuperent, passim monet illas, quae omnibus libidinibus deditae, ex dissoluta conditione ad vitam, Christi amore virtutisque studio informatam, sese converterint, illas, dico, in disputatione quidem de gravissimis Christianae religionis placitis saepe quam maxime esse occupatas, ab institutenda vita vero sua ex ejus praeceptis alienas; ita ut initio saltem Christi religio, quam cognitam habeant, ad earum mores animosque mutandos nullius prorsus sit efficacitatis. Itaque dissoluta harum mulierum vita optime comparanda mihi videtur cum barbara populorum conditione, qui, medii aevi initio, Christianae doctrinae fidem habuerunt. Inculti enim acceperunt quod maxime erat excultum. Inferiores illi quod qualicunque re facile sublimius, rudes et asperi illi quod divina spirabat, fidem habuerunt. Nec valde miramur sane eorum animos ad divinum illud accipiendum non

1) Cf. ejus diatribe: *De Staatkunde van Edmund Burke*, pag. I.

continuo fuisse idoneos. Mutatio, quam subierunt, nimis magna erat, nimis inexpectata; eadem fortuna, ac illae, de quibus supra egimus, mulieres, uterentur necesse erat; quod et historia perspicue testatur. Partim enim hi populi in abstrusis de placitis Christianis quaestionibus versabantur, partim a vitae communis institutione alieni, nil melius faciendum putabant, nec citius, quam pro sacerdotibus Christianis bellum suscipere: accedit quod scholastici plurimi, juvenes, vitam degissent nimis libidinosam.

Quaerenti autem cujusnam momenti haec Scholasticorum theologia habenda sit, respondemus, eam in tota Christianorum dogmatum historia omnino necessariam fuisse, nunc autem, inprimis quod ejus attinet methodum et rationem, nullius esse pretii. Ante omnia Scholasticorum animadvertatur simplicitas, qua humani intellectus, ope per viam dialecticam, veritatem inventuros, quid absolute verum sit, cognituros sese putarent. Pugnam acerrimam, quae fidem inter et intellectum nonnumquam obtinet, nondum experti erant. Hac contra periodo praeterlapsa, acute distinguebatur inter ea, quae ratio et quae Ecclesia docet. Quae cum invaluisset distinctio, ab opere, quod sibi imposuerat, Scholastica theologia desistere cogebatur. Hujus distinctionis auctor fuit Gulielmus Occamus, qui Ecclesiae auctoritatem nullo modo vindicare potuit, quam rationi omnem certitudinem denegando ¹⁾. Spero fore ut Scholasticismi indoles ex

1) Summo jure igitur Ritterus (p. 161) scribere potuit: „In der That wurde durch diese Nominalisten (W. v. Ockam c. s.) der völlige Bruch zwischen Theologie und zwischen Philosophie eingeleitet, welchen wir für keine von beiden Wissenschaften für vortheilhaft Ansehen können.“

dictis satis eluceat. Gravissimae, de qua tunc agebatur, quaestionis nondum mentionem fecimus; hanc nimirum in specimine meo tractandam mihi proposui. In antecessum autem imprimis indicare studui, Scholasticae periodo talem fuisse rationem, quae pugnae inter Reales et Nominales ansam dare deberet. Haec duo enim principia, ut quae supra dixi, perspicuitatis causa, repetam, in Scholasticorum studio vigerent necesse erat. Prius, quicquid doceat ratio absolute (objective) verum est. Ita statuerunt Realistae. Alterum, quicquid doceat ratio non universe (subjective) valet. Quae autem principia nostrum erit indicare quatenus in theologia vim habuerint. Sic ut spero, theologia Scholastica non rudis indigestaque videbitur moles inanium quaestionum, sed multo magis theatrum nobis erit, ubi per longam sacculorum seriem summi theologi vires exercerent ad aeternam veritatem, quam nos etiam quaerimus, toto animo amplectendam. Et nobis enim, sicut illis, parum illa satisfacit theologia, quae Codicem Sacrum, tamquam corpus juris habeat, quo omnes regulae legesque contineantur, quas sequi ante omnia oporteat. Longe absit ista theologia. Id contra mihi volo ut quaecumque Deus in Sacra Scriptura patefecerit, nobis propria fiant, quatenus hac in vita fieri possit. Idem ac Scholasticorum nostrum est studium, licet non eodem nitamur principio. Eorum autem conatus, etsi vani excesserint, nobis tamen indicent quaenam via vitanda, quaenam principia rejicienda sint¹⁾.

1) Constant igitur quae V. Cousin in praefatione jam supra laudata egregie monet: (pg. LVII sq.) « Ainsi marche l'humanité, elle n'avance que sur des débris. . . . Il faut que quelque chose subsiste du passé, ni

SECTIO III.

De Realismi et Nominalismi notione.

Gravissima in Scholastica cum theologia tum philosophia quaestio, illa procul dubio jure habetur, de qua Realistae egerunt cum Nominalistis, quam nec brevius, nec melius significare poterō, quam verbis utens, quae inveniuntur in praefatione ad Porphyrii Introductionem, sic sese habentibus: αὐτίκα περὶ γένωντε καὶ εἶδων, τὸ μὲν εἶτε ὑφεστήκεν, εἶτε καὶ ἐνμόναις Φιλαίᾳ ἐπινοίαις κεῖται, εἶτε καὶ ὑφεστηκότα σώματα ἔστιν ἢ ἀσώματα, καὶ πότερον χωριστὰ, ἢ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς καὶ περὶ ταῦτα ὑφεστῶτα παραλήσομαι λέγειν βαδυστάτης οὔσης τῆς τοιαύτης πραγματείας, καὶ ἄλλης μείζονος δεομένης ἐξετάσεως. Haec prima quaestio est. Accedunt duae aliae, secundum ordinem a Porphyrio constitutum: Quod si genera et species per se existant, quisnam eorum modus existendi? Utrum existunt extra hominem neene? Ad quas quaestiones duplici modo responderi potest, vel cum Realistis, vel cum Nominalistis. Quinam Realistae, quinam vero Nominalistae sint facile agnoscitur. Quum enim quaeritur, utrum universale per se, a rebus sejunctum, usquam extra nostram mentem adsit, ille, qui negando respondebit, *nominalista*, qui affirmando, *realista* habendus est. Realistae igitur, quum sibi constare velint, unam

trop, ni trop peu, qui devienne le fondement de l'avenir et maintienne à travers les renouvellements nécessaires, la tradition et l'unité du genre humain."

tantummodo statuunt *ὄσιον* adesse et summam quidem, ita ut genera et species hujus *ὄσιον* partes habeantur. Nominalistae contra unamquamque vocem alicui rei singularae vere existenti respondere, universalialia tamen "*flatus vocis*" dicenda esse contendunt ¹⁾.

Porphyrii autem sententia non nisi Boëthii versione innotuit, licet haec versio, ut Cousin monet, illius mentem non accurate reddiderit. Quum enim Boëthium audiamus, Porphyrius quaesisset utrum, quod *differentia*, *accidens*, *proprium* vocatur, per se adsit necne. Hic autem numquam inquisivit an species et genus, multo magis an species revera existant et genera; an igitur genus aliquod definitum, veluti humanitas adsit, nulla singulorum hominum ratione habita. Boëthius autem omnia confundens, viam aperuit, qua duo minantur pericula. Prius quidem quod, Boëthium sequentes, omnia abstracta pro vere existentibus sumamus, alterum vero, quod, ab eo discedentes, genera omnesque species facile nihil aliud faciamus, quam res nostra ipsa ratione distinctas ²⁾.

Haec tamen Boëthii versio minime negligenda mihi videtur, quippe quae, quamquam non ipsius Porphyrii verba accurate referens, caeteris disputationibus fuerit fundamento. Prima nimirum Scholasticorum periodo Boëthius maximam habuit vim, cui dein successerunt Martianus Cappella, et Cassiodorus. Ut melius tamen mentem Porphyrii intelligamus, non solus

1) Summo jure igitur Haureau in opere supra laudato scripsit: "On est réaliste quelques soient les artifices du langage, quand on ne part pas de l'individu, de l'atome Aristotélique."

2) Cf. Boëthius: opp. edit., Bas. 1546, pg. 8.

Boëthius audiendus est, at quoque Rabani attendamus verba, qui commentarii intentionem tradidit: „Intentio Porphyrii est in hoc opere facilem intellectum ad praedicamenta praeparare, tractando de quinque *rebus, vel vocibus*, genere scilicet, specie, differentia, proprio et accidente, quorum cognitio valet ad Praedicamentorum cognitionem.” Rabanus quoque nos docet, suo jam tempore, alios adfuisse, qui Realistarum, alios qui Nominalistarum sectarentur partes. Ipse e Porphyrio duo attulit argumenta contra Reales, quibus deinceps in omni Scholasticorum philosophia saepius utebatur. His enim ex omnibus, quae memoravi, satis patebit, in Porphyrii verbis et Realium inesse sententiam et Nominalium. Illius enim verba duplici modo intelligi potuerunt¹⁾.

Atqui hujus de rebus et vocibus quaestionis Porphyrius, ut omnibus notum est, non auctor fuit. Nec primum Scholastica periodo viri docti in duas abierunt partes. In Graeca philosophia harum litium origo quaerenda videtur. Plato nimirum et Aristoteles alterutri favit sententiae. Antequam igitur in hujus pugnae historia explicanda pergamus, tum Platonis, cum Aristotelis doctrinam, quatenus de hac quaestione philosophati sint, perstringam necesse erit. Meae autem conscius imbecillitatis, pro gravissima antiquorum philosophia, me nihil nisi prima atque incerta daturum esse lineamenta libenter confiteor. Quae cum ex Platonis Aristotelisque, tum ex eorum, qui hisce de viris

1) Quae ex duplici illa interpretatione quaestiones orirentur, „s'orientent,” ut scite scripsit Cousin „appelées à soulever des discussions mémorables, à troubles l'Église et l'État.”

scripserunt, lectione collegi, quam perspicue fieri poterit, lectoribus tradere studebo.

Disquisitio quid revera Plato de ideis divinis sentiret, jam ab antiquo non majoris momenti quam difficultatis habebatur. Secundum Aristotelem ideae Platonicae non conceptus tantummodo sunt, sed multo magis *formae*, quae ab aeterno revera existunt extra puram intelligentiam, ex quibus formis naturarum fit collectio, *mundus archetypus* vocata¹⁾. Aristotelis de Platone sententiam Tertullianus, plurimique doctores decimotertii aevi et quartidecimi secuti sunt. Quam autem reiecerunt, ut iam monuit Haureau, Plutarchus, Alcinius, philosophi Alexandrini, Plotinus, Porphyrius, Jamblichus, Proclus, qui cum plurimis Neo-Platonicis in: *Philebo*, Platonis theologiae summam inesse statuit. Quintodecimo vero saeculo Bessarion, Marsilius Ficinus, alique contra falsam, quae tunc viguit, Platonis interpretationem vehementer sese opposuerunt; quibus assensi sunt Charpentier, Arnauld. — Marsilius Ficinus nempe, ut alios silentio praeteream, dialogum: „Parmenides,” Philosophiae platonicae arcana continere putat. Addit autem, ab omni partium studio quam maxime alieni simus, necesse esse, ut hanc in Parmenide obtectam theologiam inveniamus. Tiedemann contra in libro: *Dialogorum Platonis argumenta* (p. 340), alique hanc Ficini

1) Cf. Aristotelis *Metaphysica*; ejus operis librum primum et decimum in linguam Franco-Gallicam vertit Cousin, qui quoque omnia notavit loca, ubi Aristoteles de Platonica agit doctrina. Haec autem versio non tantum habere perspicuitatis mihi videtur, ac illa, a Viro Cl. Schwegler edita, quae igitur imprimis consulenda est.

praejudicatam opinionem fictam esse vanamque contenderunt. Sic medio aevo ea, quae Plato dixisset, in occulto latere videbantur¹⁾. Hanc ob causam pugnam, quae de Platonis doctrina inter viros doctos obtinuit, in memoriam revocavi, ut quam difficile sit recte eam definire, amplius indicarem. Adhuc enim lis sub iudice est, utrum Plato „officinam exemplarium formarum,” ut Charpentier admodum facete dixit, in ipsa posuerit intelligentia divina, necne.

Ad hanc quaestionem affirmando respondit Charpentier²⁾.

Mihi tamen, quodsi in gravissima re quid dijudicare liceat, cum e dialogo: Timaeus, tum in libris: de Republica, Platonis de theologia ejusque de ideis doctrina petenda videtur. Librorum nimirum „de Republica” sexto, sub nomine ideae Boni, de summa essentia dixit, quam in Timaeo mundi tamquam patrem descripsit. Libro decimo subinde explicat, quid de ideis censendum sit, quas rerum habet exempla (ἀρχέτυπα). Omnium quorumque quae adsint, Deus unum tantummodo fecit exemplum, verbi causa unam humanitatis ideam cui singuli homines respondent. Nam optime Charpentier³⁾ dicit: „Platonicae ideae secundum suam perfectionem summam sunt in sola mente primi

1) Ita ut summo cum jure J. Berger, *Geschichte der Religionsphilosophie etc.* scribere potuerit: „Man erkannte, dass dasjenige, was man bisher für Philosophie des Alterthums angesehen hatte, von der wahren Meinung der Alten ganz sehr abwich.”

2) *Etudes sur le Timée de Platon*, T. I. p. 6 sqq. Platonis cum Aristotelis in univers. philos. comparatio, pars I. p. 196, Henri Martin.

3) l. l. p. 212.

opificis Dei, nec hoc modo cadunt in existentiam rerum, sed in hac tantum deprehenduntur per imaginem, quae partibus materiae communicatur, et, in his adumbrata, res singulas efficit numero differentes.” Materies igitur apud Platonem aeternae essentiae tamquam *ὑποκειμένη* est; quae, licet omnibus praedita formis (*πανδεχες*) numquam suam mutare potest naturam. Sic divinae ideae, quae eadem sunt ac aeternae essentiae ad rerum universitatem sese habent, ut imitatio ad exemplum. Quae ideae, generalissima, universalia, vocatae revera ad sunt, rebus tamen procreatis non veram existentiam habentibus; quamobrem Platonis mentem egregie reddidisse videtur Cousin monens, genera et species, postquam cum rebus visibilibus sese conjunxerint, licet ab iis non *separata*, omnino tamen *separanda esse*.

Exemplum autem, quo ipse usus est Plato¹⁾ afferamus, ut rem amplius illustremus. Oculus lucem recipit, ac de luce testatur, minime tamen ipsa lux est, nec ejus auctor. Helios autem luce omnia perfundit, omnibusque colorem praebet et formam visibilem. Sic Idea causa boni. Per eam tantum discrimen adest bonum inter et malum. Ut oculus de luce, sic de Idea mens testatur. Ut, occidente sole, omnes evanescunt colores, omnesque visibiles formae, sic, idea in mundo adesse cessante, omnis boni malique notio una cum ea tolleretur. — Idea igitur revera adest extra facultatem, qua eam cognitam habemus. Qui solem aut lucem cognoscere cupiat, non oculi indagacionem adibit, neque igitur ad ideam, ad veram essentiam inspicien-

1) Cf. ante omnes Heusdenii *Initia Platonis philosophiae*.

dam, mundus visibilis consulatur. Idea omnia quidem procreavit; quid autem procreaverit non conditio est, sine qua ipsa non exsistat. Huic respondet distinctio, quam fecit Plato inter varios cognoscendi modos, quos appellat: *αἰσθησις*, *δόξα* sive *πίστις*, *διάνοια*, *νόησις*. Notiones autem, quas *νόησις* informat, minime a rebus visibilibus abstrahuntur, multo magis nostro ingenio propriae sunt, atque de iis, quae experientia cognoscuntur, judicare debent.

Alia Aristoteli erat sententia. Non eodem ac Platonis principio, ejus nititur philosophia; neque ex ideis supra mundum elatis, aeternis, divinis cognitionem petit, sed ex rerum, qua late patet, universitate. Platone omnium, quae viderit, aeternam essentiam tamquam normam habente, nulla Aristoteli talis adesse potuit norma. Quid adsit, *tantummodo* apud eum quaeritur. Empirice igitur procedit. De distinctione ideas inter et ea quae existunt scribit Aristoteles¹⁾, *ἡ ἀποποῦν δ' ἂν φαίνηται καὶ εἴτις ἐκάστῳ ὄνομα δεῖτο τῶν τί ἦν εἶναι ἔσται γὰρ καὶ παρ' ἐνεῖνο ἄλλο, οἷον τῶν τί ἦν εἶναι ἵππων ἕτερον. καίτοι τί κωλύει καὶ νῦν εἶναι ἕνα εὐθὺς τί ἦν εἶναι; ἀλλὰ μὴν οὐ μόνον ἓν, ἀλλὰ καὶ ὁ λόγος ὁ αὐτὸς αὐτῶν, ὡς δῆλον καὶ ἐκ τῶν εἰρημένων οὐ γὰρ κατὰ συμβεβηκὸς ἔντο ἐν εἶναι καὶ ἓν ἔτι εἰ ἀλλ' ἔσται, εἰς ἀπειρον εἶσιν τὸ μὲν γὰρ ἔσται τί ἦν εἶναι τοῦ ἑνός, τὸ δὲ τὸ ἓν, ὥστε καὶ ἐπ' ἐκείνων ὁ αὐτὸς ἔσται λόγος; ὅτι μὲν οὖν ἐπὶ τῶν πρώτων καὶ καθ' αὐτὰ λεγομένων τὸ ἐκάστῳ εἶναι καὶ ἕκαστον τὸ αὐτὸ καὶ ἓν ἔστι, δῆλον."* Hinc etiam sequitur Aristotelem res quae existunt, ex ideis procreatas esse, negare. Capite septimo nimi-

1) Metaph. lib. VII. c. 6 § 16 sqq.

rum pergit, verbis, quae sic, ut spero, non male reddemus: Omnia quae procreantur, alia natura, arte aut fortuna alia, fiunt. Quod autem procreat ejusdem naturae est ac quae ex illo procreantur. Ita homo gignit hominem.

Idaeae igitur nihil omnino procreant, quum universalialia non tamquam essentia existant, nec principia esse possint¹⁾. Non tantum a mundo visibili toto uno, sed a singulis partibus cum Aristotele initium faciendum est. Bene tamen teneamus, Aristotelem non tam Platonis adversarium, quam discipulum fuisse, licet multis nominibus, a magistro discederit. Quum enim Aristoteles annos decem et septem natus, *Athenas* se contulisset, philosophiae scholisque *Platonicis* totum se dedit; numquam vero, quod nonnulli dictitant, Platoni aemulatus est. Quae idcirco moneo, quoniam non ita acute inter ambo praeclaros viros distinguendum mihi videtur, ut nulla omnino inter eorum placita obtineat similitudo. Aristotelis autem philosophiam tantummodo veluti perstringere potuimus, quia minus etiam quam Platonis, me quidem iudice, theologi medii aevi illam intellexerunt doctrinam; deinde quoniam Realismus magis sibi constitit, quam Nominalismus, quem alium dicimus undecimo saeculo, alium quarto decimo, ut infra videbimus.

Haec, quam breviter explicuimus, cum Platonis, tum Aristotelis doctrina, magnam procul dubio exseruit vim in periodi Scholasticae Theologiam. Longe tamen majoris fuisset momenti, quodsi ab initio inde magis innotuisset. Scholasticis enim omnia Academici

1) Conferantur enim libri laudati capita VIII, X, XIII, XIV, XVI.

et Peripatetici scripta adire non continue contigit. Per longum nimirum tempus, primas tantummodo partes Aristotelis libri, qui *Organon* vocatur, cognoverunt. Artem dialecticam maximam partem hauserunt e Boëthii commentationibus. Tertiidecimi primum saeculi initio caetera Aristotelis scripta magis magisque divulgabantur. Praeter tractatus de logica, vetus versio, cujus auctor Victorinus fuisse videtur, Porphyrii Isagogen in lucem posuit. Quae quum vera sint, non discrete sententiam refutare opus est eorum, qui tantum Aristotelem Scholasticis philosophis notum fuisse dicant. Platonis enim fortuna ex uberioribus fontibus iis affluit. Ne alios Ecclesiae Patres memorem, unus tamen laudandus est Augustinus *Φιλοπλάτων*. Saeculo undecimo et duodecimo Platonis placita longe majorem, quam Aristotelis habuerunt auctoritatem. Timaeus sedule legebatur; et tertio decimo saeculo, Arabum scriptis omnia Platonis innotuerunt opera.

Quum de singulis viris, temporibusque viderimus, de varia Aristotelis et Platonis fortuna accuratius constabit. Sufficiant quae diximus ad probandum, ipsos Graeciae philosophos non nisi per versiones et commentationes, Scholasticae imperasse doctrinae. Boëthius igitur quodammodo vinculum haberi potest, quo antiquiora et recentiora tempora conjungebantur. Ille enim, Christianus aequae ac Latinus, ut Cousin recte monet, ea ex graeca vertit philosophia, quae barbaram Christianorum conditionem quodammodo informare possent. Eo autem quod versionibus plerumque usi sunt Scholastici, quum admodum paucis liceret ipsum codicem Graecum inspicere, factum est ut longe minus

adsit discrimen Platonem inter et Aristotelem, quam deinde inter Reales obtinuerit et Nominales; quod etiam animadvertisse videtur, quem jam supra laudavimus, Charpentier, Aristotelis scripta nullum continere locum probare conatus, ubi *universalia* puros vocet conceptus, quem sequitur Haureau. Nova igitur quaerenda est formula, quae non tam Platonis Aristotelisque doctrinae, quam Realium et Nominalium respondeat sententiae. Quam ut inveniamus, quodammodo usui esse possunt, quae in fine Salaberti libri "*Nominalisme vengé*" minime rejicienda, legimus de magnis duabus Scholasticorum scholis: "Illi doctores Nominales dicti, qui non multiplicant res principales significatas per terminos secundum multitudinem terminorum; *Reales* qui contra res multiplicandas esse contendunt secundum multitudinem terminorum. Verbi caussa *Nominales* dicunt quod deitas et sapientia sunt res una et eadem omnino, quia omne, quod est in Deo, Deus est; *Reales* autem dicunt quod sapientia divina distinguatur a deitate." Quacritur fortasse quomodo ita temere Scholastici graecae illi philosophiae sese dederint, ut fere omnes ex ea penderent. Quod Platonem attingit, quem secuti sunt Realistae, optime respondebimus cum Viro Cl. Cousin ¹⁾, Christianismum probente viguisse, faventibus ideis Platonis.

1) (Pg. LXXIV): "Le christianisme est né et s'est formé sous le règne de la doctrine platonicienne; les pères Grecs sont en général platoniciens, et St. Augustin le représentant et l'oracle de l'Église latine, St. Augustin est enthousiaste de Platon, et tous ses écrits respirent et répandent l'idealisme."

Quamquam enim Rittero facile concedimus, singula Platonis placita Ecclesiae doctrinae nonnumquam maxime repugnare, animadvertimus tamen, omnem hujus philosophi rationem Christianae Theologiae favere, ita ut qui Ecclesiae fideles essent filii, plerunque etiam, magis minusve Platonis sectatores jure haberentur. Quid? vel ob eam ipsam, quae Academiae inter et Ecclesiae dogmata obtinuit, discrepantiam, libere et sine metu ut a vera via aberrarent, Platonem audire ausi sunt. Aristotelica philosophia magis tamquam methodo utebantur Scholastici, qua ad theologiae studium melius praepararentur. *Organon* enim ante omnia cognoscere student. Accedit, quod jam Boëthius, Cassiodorus, Johannes *Damascenus* magni eum fecissent; nec animadvertere neglexerunt apud Arabes hanc philosophandi rationem cum doctrina religionis positiva optime convenisse. Uterque igitur, Aristoteles Platoque omni Scholasticorum studio, nedum adversabantur, sed perquam utiles erant; ita ut eorum vim et auctoritatem quum tollas, philosophia, nec minus hujus aevi theologia vix aut ne vix quidem cogitari possit. Nec huic sententiae repugnat, quod versus rerum Ecclesiasticarum instaurationem, theologia ita fuerit inquinata ut, veluti Augiae stabula, lueretur necesse esset ¹⁾.

1) Hac et de re, ut universe, valent verba Ritterii (p. 99) quae ob summam eorum sapientiam silere nequeo: „Es ist nicht anders mit allen menschlichen Einrichtungen; eine Zeit lang wirken sie hilfreich in dem Geiste, in welchen sie emporgekommen, nachher, so fester sie sich eingerichtet haben, um so hartnäckiger wollen sie sich behaupten, und gegen die Bestreitungen, welche über sie hinausgehen, wirken sie auch als eine hemmende Kraft.“

Antequam tamen ad ipsum argumentum tractandum transeamus, verbo memorare simulque refutare sententiam liceat, quae, quum vera esset, a proposito facile me dissuaderet. Putat enim Ritterus ¹⁾ Realium et Nominalium litem minime ad praecipuas hujus periodi pertinuisse quaestiones. Ipsi cum temporis indole et ratione haec duae scholae non cohaesisse videntur, nec cum philosophia de Deo commune quid habuisse. Quanti Ritterum faciam, quippe qui de philosophiae historia optime meritus sit, non opus est ut diserte dicam. Quicumque egregium ejus opus "*Geschichte der philosophie*" attente legerit, neque insignis doctrinae laudem, neque iucundae perspicuitatis profecto ei recusabit.

Quomodo tamen summus ille vir, qui simul philosophi nomen jure sibi vindicat, haec, quae memoravi, scribere potuerit, me non intelligere, ex intimo animo confiteor. Nam argumentum quod attulit, ut suam probaret sententiam, numquam, nisi omnia me fallunt, in philosophiae tractanda historia valet. Ita fere ratiocinatur: Scholastici quum de placito aliquo agerent Christiano, in una aliave proferenda sententia, se ex alterutro, Nominalium aut Realium, pependisse principio, numquam agnoverunt; acsi ullus, me herele, theologus in Kantii, aliusve cujusdam philosophi schola informatus, se id quod sentiat, sentire dixerit, quoniam philosophus, quem habuit magistrum, ita eum docuerit, nec aliter. Posteritati tantummodo, si quid video, plerumque contingit de principiis, quibus theologia cujusnam temporis nixa sit, dijudicare. Licet Scholastici nullius prorsus

1) Pg. 133.

philosophiae sibi conscii fuissent auctoritatis, vel sic tamen singulorum, quae docuerint, dogmatum originem in Platonis, vel Aristotelis, sive magis in Realista vel Nominalista doctrina quaerere possumus, atque nonnumquam debemus; nisi forte contrarium nominatim indicassent. — In hac autem Ritteri opinione refutanda diutius occupatum esse, non licet, quum totum specimen, praeter alia, id in primis sibi velit ut Realium Nominaliumque doctrinae, in Theologiam, indicet vim et efficacitatem.

SECTIO IV.

De Periodi Scholasticae divisione.

Scholastica philosophia in tres universe dividi solet aetates. Hujus divisionis auctor est Lambertus Danaeus, quem secuti sunt Aestadius, Hornius, Bruckerus. Scribit enim Danaeus: „Ipsius Theologiae scholasticae triplex aetas est observanda. — *Veteris* scholasticae Theologiae initia a Lanfranco Papiensi coeperunt; sed ea durasse postea videtur usque ad Albertum *Magnum* pene per annos 200..... *Media* scholastica coepit ab Alberto Magno (1220) et durat usque ad Durandum de Sancto Porciano qui vixit 1330..... Denique impurior quaevis doctrina publice..... introducta est..... Haec aetas habuit Joannem de Regno, Joannem Capriolum, Petrum de Aliaco; Joannem Gersonem, Gabrielem Bielem,

et similes alios: ac tandem Eckium illum sophistam, ac Genebrandum.....” Cousin tamen alia utitur divisione; „1°. a saeculo XI^{mo}—XIII^{mum} usque ad universitatem Parisiis conditam, 2°. a saec. XIII^o—XV^o. virilitatis aetas; 3°. a saec. XV^{mo}. usque ad finem saec. XVI^{mi}. tempus ejus interitus.” Tennemannus alia procedit ratione, *quatuor* nimirum aetates discernendas esse putans, virumque Cl. Rousselot sibi assentientem habens.

Nec viri Cl. Ceriseni divisio ipsius de rebus et vocibus pugnae multum habere videtur, quo se commendet; ita ut multo magis cum Haureau faciamus, duas tantummodo observante aetates; priorem quidem, quae ab Alcuino initium facit, ab eo inde et ineunte saeculo tertio decimo desierit; posteriorem, quae pertendit usque ad Gersonem. Quas inter aetates magna nimirum obtinet similitudo. Eadem, ut videtur, ratione coepta ac finita est; quod tamen infra uberius explicandum erit.

Haec ita perspicua sunt ut diserta demonstratione non indigeant. Luculentissime patebunt, ipsa pertractata historia.

PERIODUS PRIMA.

A SCOTO ERIGENA AD JOHANNEM SARISB.

CAPUT II.

PUGNAE HISTORIA USQUE AD ABAELARDUM.

SECTIO I.

Rabanus Maurus. Scotus Erigena.

Rabanus Maurus ¹⁾ anno 774 sive 776 natus, licet sacrae Scripturae interpretantae magnam dederit operam, copioseque *de universo* scripserit, Isidorum, Bedamque secutus, vel sic tamen minime suus fuisse videtur, neque ejus mentionem diserte facere opus est. Nominalista autem erat; quod satis patet ex libro de Porphyrii Isagoga, qui, quamquam Rabani adversarii non nominatim designantur, jam multos, id temporis in Realismi abiisse partes, nos certiores reddit; inter quos Johannem Scotum *Erigenam* primum

1) Cf. Kunstmann, *Hrab. Magn. Maurus*, Mainz 1841, N. Bach, *Hrab. M. Zeitschrift f. d. Alterthumswissenschaften*, 1835.

fuisse satis constare videtur. Hic igitur summus philosophus, Platonis flagrans amore, neque ullo Realium placito cedens, ante omnes laudandus est, quippe de cujus doctrina quaeri possit.

Ut levius argumentum primum afferamus omnino animadvertendum est *Erigenae* doctrinam realisticae jam in nominum mutatione, quibus Aristotelis designantur praedicamenta, conspicuam esse; ut jam monuit Haureau Quae enim nomina apud hunc sic obvia:

„ οὐσία, ποῖν, ποσὸν, πρόστι, κείσθαι, ἔχειν, ποῦ, ποτὲ πράττειν, παθεῖν.”

apud illum leguntur:

„ οὐσία, ποιότης, ποσότης, πρόστι, κείθος, ἔξις, τόπος, χρόνος, πράττειν, παθεῖν.”

Longe vero majoris momenti, ad eum revera realistam fuisse probandum, sunt verba, de div. nat. lib. I. c. XXIX: „Nihil aliud esse video, in quo naturaliter inesse οὐσία possit, nisi in generibus et speciebus a summo usque deorsum descendentibus, hoc est a generalissimis, usque ad specialissima, id est individua, seu reciprocitim sursum versus ab individuis ad generalissima.”

Quid autem οὐσία apud eum significet, non in occulto latet. Nam „Essentia,” ut legimus de div. nat. lib. I, c. XXII, „in omnibus esse videtur, sine qua esse non possunt, et tamen per se suum locum obtinet. Quod omnium est, nullius proprie est, sed omnium commune. Et dum in omnibus subsistat, per se ipsum propria sua ratione esse non desinit.” Addit omnia praedicamenta veram habere essentiam, unde conficit: „Quidquid in omni natura vel sensu corporeo percipitur, seu intellectu consideratur, nihil aliud est nisi quoddam accidens incom-

prehensibile per se uniuscujusque essentiae, quae aut per qualitatem, aut quantitatem, aut formam, aut materiam, aut differentiam quamdam, aut locum aut tempus agnoscitur, non *quid* est, sed *quia* est.”

Hanc autem Realium doctrinam in singulis ipsius placitis reperiemus. Nec sane mirandum, theologum ita sensisse, qui non tantum Platonem philosophantem de mundo habuerit maximi, atque Augustinum sedulo sectatus sit, in primis vero Dionysium *Areopagitam* diligenter legerit, quin etiam in Latinam converterit linguam. Quaeritur fortasse, quisnam ille fuerit Dionysius *Areopagita*? Rem non altius repetere licet, quam a Michaele, Orientis imperatore, quem omnia Dionysii manuscripta Ludovico (le Débonnaire) tradidisse, satis constare videtur. Sexti saeculi initio primum haec Ecclesiae innotuerunt scripta, quorum tamen authenticam Hypathius in dubium vocavit ¹⁾ In libris *de Nominibus divinis* et *de Hierarchia Coelesti*, multa inveniuntur quae *Alexandrinam* spirant philosophiam. Maximus, quem sicut Gregorium *Nyssenum* colebat Scotus *Erigena*, in *Areopagitae* veluti arcana eum introduxit; ita ut quodammodo ex *Alexandrinis*, *Areopagita* et Maximo pependisse dici possit. Nec tamen ab eo laudem abjudicare possumus, multis capitibus, prae omnibus, qui ejus tempore floruerunt, eum excelluisse ²⁾.

Gravissimum, quod scripsit, opus est: *περὶ Φυσικῶν*

1) Cf. des livres du Pseudo-Dénys, par Léon Montet, 1848.

2) Cf. M. de St. René Taillandier: *J. S. Erigena et la philosophie Scolastique*, Strasbourg 1834.

μερισμῶν, (primum Oxoniae editum anno 1681) quae Scoti divisio naturae deinde inclaruit. Attamen jam Colebrook miram aliquam interesse similitudinem animadvertit hanc inter et illam distributionem, quae apud nonnullos Indorum philosophos ex Sankhya schola profectos, invenitur; nisi forte quartum membrum excipiendum sit: „non naturans nec naturata.” Viam autem adhuc frustra quaerimus, qua haec Indorum philosophia ad Scotum *Erigenam* pervenerit. Praestat igitur eum hujus divisionis verum auctorem habere; quod non parum confert ad praeclari viri dignationem. Haec vero hactenus. Videamus igitur utrum realistica doctrina in ejus theologia conspicua sit; quod jure faciemus, quum ipse veram religionem et veram philosophiam easdem plane res habuerit.

Quamquam affirmat, nisi ipsa lux initium nobis patefecisset, nostrae ratiocinationis studium nulli usui fore, putat tamen, „animae purgatae per actionem, illuminatae per scientiam, perfectae per theologiam motum, quo semper circa Deum incognitum volvitur, ultra et suam et omnium rerum naturam ipsum Deum omnino absolutum ab omnibus, quae et dici et intelligi possunt, nec non omnibus, quae nec dici nec intelligi possunt, et tamen quodammodo sunt,” intelligere. Qualem autem Deum esse censet? Priusquam huic gravissimae quaestioni respondeamus, paucis exponamus necesse est, quid, quum sibi constare velint, Realistis de Deo sentiendum sit. Realistae, ut jam vidimus, in universalibus tantummodo essentiam adesse existimant, individua contra, proprio sensu, non existere. Nihil autem tale universale est, quod omnia amplectatur. Individua continentur speciebus,

species generibus, genera autem eo, quod magis etiam sit universale. Generalissimum quid esse debet quod, omnium rerum fundamentum, omnium principium sit. Illud principium Deus habetur; unde sequitur primum, Deum generalissimum esse, deinde eum solum veram habendum essentiam.

Quum vero Deus solus existat, omnia quae extra eum adesse videantur, revera in eo lateant necesse est; alioquin vera existentia non fruerentur. Deus igitur ἐν καὶ πᾶν. Pantheisticam de Deo notionem Realium doctrinae propriam esse, ex dictis, credo, sponte patebit. Quod, ut universe, sic quoque de *Erigenae* theologia valet. Sed et eum ipsum audiamus. „Essentia ergo dicitur Deus, sed proprie essentia non est, cui opponitur nihil, ὑπερ-ούσιος igitur est, id est, superessentialis, item bonitas dicitur, sed proprie bonitas non est, bonitati enim malitia opponitur, ὑπεραγαθός, plusquam bonus et ὑπεραγαθότης, plusquam bonitas”¹⁾. Nec tantum omnes qualitates a Deo abjudicat, quod cum fecisset, tam sublimem de Deo notionem habuisse dici posset, ut nullum prorsus attributum ei satisfaceret, sed etiam Deum nequaquam esse docet, existentiae nimirum non-existentia opposita. Haec jam cum theismi principiis minime conveniunt. Theistae enim, si quid video, essentiam, bonitatem ceteraque attributa non a Deo sejungunt, acsi iis per se existentibus, contrarium quid opponi possit: multo magis autem omnes attributa Deo ita propria esse ducunt, ut, his sublatis, Deus cogitari nequeat. Neque in Deo bonitatem, aeternitatem esse,

1) Vid. I. 16, p. 10.

sed *Deum* ipsum bonum, aeternum, sapientem ferunt; Deo vero bono, sapienti, aeterno, Deum opponi malum, insipientem plane absurdum esset; nam Deus Deus esse cessabit, suam naturam absolutam, perfectam mutans. Illa igitur Dei definitio Realistica est, nec minus Pantheïstica jure habetur. Qui enim Deum ex attributis cognoscendum esse negat, scripserit necesse est, eodem, quod supra laudavimus, capite: „Ratio vero in hoc universaliter studeat, ut suadeat rectisque veritatis indagationsibus approbet, nihil proprie de Deo posse dici, quum superat omnium intellectum omnesque sensibiles intelligibilesque significationes, qui melius nesciendo scitur, cujus ignorantia vera est sapientia.”

Unde sequitur nos non tantum Deum nequaquam cognitum habere, sed ne extra res visibiles quidem eum revera adesse. Frustra enim quaeritur quid supersit, omnibus Dei sublatis attributis, ut fecit *Erigena*, aliud attributum contendens alii esse oppositum. Quod luculenter quoque apparet ex iis, quae libro tertio legimus: „Videsne quemadmodum totius universitatis conditor primum in divisionibus obtinet locum? Nec immerito, dum sit principium omnium et inseparabilis ab omni diversitate quam condidit, et sine quo consistere conditor non potest. In ipso enim immutabiliter et essentialiter sunt omnia, et ipse est divisio et collectio universalis creaturae, et genus et species, et totum et pars....” Postquam deinceps monadis numerorumque rationem cum illa comparavit, quae Deum inter et universum intercedat, sic pergit: „Cum igitur totius universitatis divisio ab ipsius causa et creatrice incipiat, non eam veluti primam partem, vel speciem debemus intelligere, sed ab ea

omnem divisionem et partitionem inchoare; quoniam *omnis universitatis principium est, et medium et finis.*" Hunc quoque librum tertium adeat, quicumque scire velit, quid de primordialium causarum serie, docuerit *Erigena* quam "solus investigator sanctus *Dionysius Areopagita* in libro de divinis nominibus, aptissime disposuit." Quum vero omnes proprietates a Deo ita distinguantur, ut et "*superessentialis*" habeatur, nec tamen dici possit extra universum locum obtinere, nusquam reperietur Deus, nisi in omnium, quotquot adsint, rerum conjunctione. Similium igitur similitudo, dissimilitudo dissimilium est, "haec omnia pulchra ineffabilique harmonia in una concordia" colligens. Quid plura? *Johannem Scotum* eandem ac postea *Spinozam*, licet aliis verbis, professum esse sententiam vix aut ne vix quidem quisquam facile negare poterit; imprimis quum eum aperte, ambagibusque remotis, quaerentem audias: "Num negabis creatorem et creaturam unum esse?"

Ex hac autem, quam de Deo protulit, sententia, alia de rebus nimirum moralibus sequatur necesse est. Notiones enim de Deo, ejusque ratio ad universum arte cohaerent cum illis, quas de bono maloque foveamus. Nec immerito recentiores dogmatici fere omnes a theologia initium fecerunt, ut deinde ad anthropologiam procederent. Quamquam oporteat ut *Erigenam* theologum fuisse Scholasticum meminerimus, quem semper sibi constitisse exspectare non possumus, ea tamen quae de peccato monuit, admodum egregie conveniunt cum ejus de Deo doctrina, ita ut haec illis illustrentur, quin etiam confirmentur. Nam cum Deum oppositorum oppositionem, contrariorumque contrarietatem dixerit, pec-

catum, ut universe malum, revera adesse, censere non potuit. Nec sane miramur eum, licet malum et negative et positive, tamquam „perversum dominationis appetitum,” definiisset, scripsisse: „Multa praescit Deus, quorum non est causa ipse, quia substantialiter non sunt.” Quodsi enim cum Realista *Erigena* Deus omnium rerum causa sic habeatur, ut causa non sine effecto, neque effectus sine causa, factor non sine facto, nec hoc sine illo cogitari possit: aut Deus ipsius mali auctor dicendus est, aut species tantummodo mali adsit necesse est. Tertium non datur. Deus vero mali auctor esse nequit, quippe quod summae ejus perfectioni quam maxime adversetur; malum igitur non adest, nisi specie; quum enim vel sic quidem revera existat malum, adest aliquid, quod ex summa, generalissimaque essentia derivari nequeat; ex qua, secundum Realistarum principium, omnia esse derivanda initio statuimus. Malum igitur *substantialiter* non est; nam quae in rerum universitate opposita sibimet videntur atque contraria et a se invicem dissona, in generalissima ipsius universitatis harmonia considerata, convenientia consonaque sunt¹⁾.

Quaeritur vero quomodo malum illud accidens ita hominibus insit, ut primae conditionis puritas vix aut ne vix quidem permanserit; licet enim Realistis concedamus quicquid malum sit, non revera adesse, superest tamen ut illustretur, quam ratione peccatum nedum omnibus proprium sit, sed etiam quamdiu genus humanum vigeret, magis magisque incresceret? Quibus urgentibus quaestionibus Realista facile respondere potest. Liberum arbitrium enim

1) De div. nat. I. 74.

Scotus *Erigena* sic ab ipso homine sejungit, ut eorum quae illud perficiat, ipse homo nequaquam reus censi possit. Quod diserte patet ex iis, quae de peccati retributione Scotus sensit. Quem cum audimus, non ipsi homini, sed liberae voluntati poenae infliguntur. Creatura enim a Deo profecta, non est quod alicujus delicti poenas solvere debeat. Quodsi omnino culpa adsit, liberae voluntati tribuatur. Quum autem libera illa voluntas, ab homine sejuncta, puniri nequeat, e doctrina *Erigenae* necessario sequitur, omnes tandem salvos fore. Quod vero placitum, Ecclesiae Theologiae sapienter ratione habita, non nisi quodammodo obiectum docere ausus est. Conjecit nempe „non substantiam ejusque qualitates gehennali flamma torquendas, sed sensum patientis et animum reluctantis aeterna miseria luctaturos”¹⁾ Cui sententiae aliam addidit, qua naturam contendit non „in omnibus aequaliter beatam, sed in omnibus morte et miseria liberam” futuram esse. Reponet fortasse quis, liberam voluntatem in doctrina pantheistica nullum obtinere locum. Quum enim ipse Deus „similium similitudo, dissimilitudo dissimilium” sit, nec non omnium, quae sibi adversari videantur, harmonia, nihil omnino adest quin necessarium. Deus ita omnibus moderatur ut „creatricem sapientiam si ab omnibus subtraxeris, in nihilum omnino redigentur.” Maximi igitur momenti jure haberi potest inquirere, quid hac de re monuerit Scotus. Omnem autem spem nostram fefellit. Per inanem enim verborum lusum expedit, quae explicare debuisset. Non ipsa libera voluntate, ut monet, sed liberae voluntatis

1) De praed. 19 § 4.

abusu peccamus. Haec autem verba nihil omnino significare, quisque sponte agnoscet. Liberae enim voluntatis abusus, notio est sese ipsa tollens. Quicumque revera ex mente Scoti liber habeatur, is libertate sua abuti nequit, quod quidem potuisset omnino, quibusdam voluntati finibus impositis.

Sed, ut haec missa faciamus, ipsam ejus de libero arbitrio definitionem paullo accuratius animadvertamus; *de praed. c. 4, § 3*, scripsit: „...ne sic defendatur liberum arbitrium, ut ei bona opera sine Dei gratia tribuantur, nec sic defendatur gratia, ut quasi de illa securi mala opera diligantur.” Quae definitio, si quid video, magis negativa quam positiva habenda; quid igitur de libero arbitrio revera censendum sit, minime docet. Scotum quidem non invenisse quae adhuc usque frustra quaeruntur, non est quod valde miremur. Hanc ob rem tamen hujus definitionis mentionem feci, ut, omnem libertatem moralem, in doctrina Scotiana, pessumdari, in memoriam revocarem; qui ab initio inde a mundo Deum non ita distinxerit, ut hic sine illo adesse possit, nec Deum deinde proposuerit mundum liberae voluntatis motu procreantem, numquam ad veram hominis libertatis notionem perveniet, qua sublatâ nulla virtus, neque ullum bonum morale cogitari potest. Sic quoque de Scoto *Erigena* valet, quod de Spinoza egregie scripsit Herbart ¹⁾: „Et in alto bonum, et in profundo malum desideratur, nihil praeter id quod omnium sit generalissimum, in intima hominis invenitur conscientia.”

Quamquam plura adsunt, quibus Scoti theologia

1) *Gespräche über das Böse*, pg. 19.

quatenus e Realistarum principio pendeat, uberius illustraretur, hic tamen subsistendum est. Ad ea, quae nunc diximus, procedente historia, nonnumquam revertemur. *Erigenae* vero valedicere, antequam meritas justasque ei tribuerimus laudes, non licet. Omnium fere sui temporis primus, paucis tantummodo doctrina cedere debuit. Caeterum, quidquid de ejus theologia judicandum videatur, id semper tenendum est, Scotum *Erigenam*, historiae saltem ratione habita, floruisse, priusquam pugna Realistas inter et Nominalistas incepisset; quocirca facile non omnia praevisit, quae postea e principio effecerunt Realistae.

SECTIO II.

Gerbertus Berengarius. Lanfrancus.

Quemadmodum Scoti doctrina nobis pantheistica visa est, sic quoque historia illud affirmat judicium. Quam enim de philosopho aut theologo judicare velimus, non tam aequales, quam qui postea floruerint, consulendi sunt. Hi, ni fallor, idonei erunt, ad remotioris aetatis doctrinam probe aestimandam. Omni enim qualicunque principio, quodam temporis opus est intervallo, ut ejus effectus conspicui fiant. Laetor sane, quod ea attinet quae de *Erigena* scripsi, Henricum (d'Auxerre,) Haimonis discipulum, mihi assentientem habere, qui ipsius Scoti theologiam deduxit a Deo cum mundo, pantheistica ratione, conjungendo. Henricus, inter conceptu-

alistas, (de quibus infra uberius videbimus), magis etiam quam inter nominalistas, jure recensetur. Genus de animali praedicandum jubet non secundum rem (i. e. substantiam) sed „*designativum* nomen esse animalis similiter nec species dicitur de homine secundum id quod significat, sed juxta illud quod de numero differentibus praedicatur.” Deinde autem diserte monet: „rem concipit intellectus, intellectum voces designant; voces autem litterae significant.” Hic etiam continuo patet, quod hujus periodi historia saepius docere videtur: Realium nimirum et Nominalium partes illo ordine non raro sibi successisse, ut post Realistam magistrum, Nominalista floruerit discipulus. — Ceteroquin non est quod de Henrico uberius dicamus, cujus theologia minoris fuit momenti; nec plura memoranda videntur de Gerberto, qui sese eclecticum praestare conatus est, immo Platonem et Aristotelem in harmoniam conferre studuit. Huic operi, temere suscepto, minime par erat, quum nec *Categorias*, nec *Timaeum* satis cognitum haberet; quo factum est ut deinde in Platonis abierit partes. Quod sane probent, ut alia praetermittam, quae de arithmetiis divisionibus docuit Gerbertus. Non enim artem illam arithmetiicam humanis machinationibus factam, ab auctore vero omnium artium, naturae rerum impressam esse censet. Multis tamen nominibus inclauit; praeclaris scholis interfuit, quin etiam papalem occupavit sedem. Opus autem quod scripsit: *Rationali et ratione uti*, cum Bernhardo Pezio, Cousin longe minoris momenti habeo, quam Cl. Haureau visum est.

Nec tamen negligamus, eum exeunte saeculo floruisse decimo, quod „sui asperitate ac boni sterilitate

ferreum, malique exundantis deformitate plumbum," a *Baronio* vocatur. Hujus barbaries ratione habita, unus in paucis laudandus est Gerbertus, quippe qui non solum suae aetati multum, sed etiam posteritati profuerit. Eo enim Fulbertus magistro usus est, in eunte saeculo undecimo, omnibus praecellens doctoribus. Multos clariores informabat discipulos, quorum omnium Berengarius maximus est habendus. De ipsius autem Berengarii doctrina, quatenus nostra ejus intersit, accuratius videamus. Inter perniciosos haereticos habebatur Berengarius, de quo quaevis mirabilia narrabantur. Nominalista nimirum erat, quod gravissimum attinet Ecclesiae placitum; ut eum proprie fuisse nominalistam, in una tantum quaestione versantem, egregie dixit Cl. de Rémusat. Quaestio enim de sacra coena tunc maxime agitabatur; nec miramur sane Scholasticos hoc quidem placitum ante omnia animadvertisse. Duplici sensu verba, quibus hanc solennitatem instituit Dominus, accipiebantur. Quae duplex interpretatio Nominalismi et Realismi pugnae plane rationem retulit. Nam Christi corporis eandem ac panis Realistae habuerunt essentiam, ita ut edentes una cum pane Christi fruerentur corpore. Quum videlicet quicquid individuum sit, a Realistis accidens quaedam essentiae censeatur proprietas, quamobrem, vel qualitatibus pereuntibus, substantia integra manere possit, in corpus Servatoris singuli panes facile mutantur. Quae mutatio, alio verbo, *transsubstantiatio* appellatur. Huic vero Realistarum sententiae maxime sese opposuit Berengarius, qui, ut universe in theologia philosophiam valere jussit, in hac transsubstantiationis doctrina impugnanda, dialectice

versatus est ¹⁾. E praeipuo nimirum, quod contra Ecclesiae de sacra coena sententiam attulit, argumento, luce clarius, ni fallor, apparet, Berengarium nullius, nisi nominalis sui principii, rationem habuisse. Etsi, sic enim ratiocinatur, Christi corpus ejusdem prorsus esset longitudinis ac haec, quam ante oculos habemus, turris, vel sic tamen ne minime quidem ejus pars superesset, postquam tot populi eo vescerentur. Nullus dubito quin hoc argumentum a Nominalista tantummodo afferri possit; quin admodum rude atque incultum mihi videtur, neque ulla mentione dignum, nisi quatenus principium, quo ducebatur Berengarius, optime illustret. Vel ipsam Realistarum ratiocinationem minime intellexit; qua intellecta tacuisset, procul dubio, de iis, quae nunc satis inepte monuit. Realistae, ut jam supra diximus, non ita corporis in panis substantiam abire contendunt, ut una cum pane corpus quoque deleri possit: Sic enim unus idemque ad sit panis, necesse est, quocum semper corpus sese conjungat; multo magis vero, nulla quidem panis ratione habita, corporis substantia in aeternum eadem atque integra Realistis videtur.

Qui plura de Berengarii argumentis scire cupiat, manuscriptum adeat a Vischero editum (anno 1834) cui hic inscribitur titulus: *Berengarii Turonensis de sacra coena adversus Lanfrancum liber posterior*, in quo omnia, quibus usus est, argumenta, ejusdem inveiuntur generis ac id, quod supra laudavimus. Adelmanum, in libro *de veritate corporis et sanguinis Domini*, Hugonem Bretevilium, (Breteuil) Durandum ad-

1) Cf. Gieseler, *Kirchenges.* II. 248.

versarios habuit, quos facilius superavit, quam doctissimum illum Lanfrancum, cujus peritiae fama, ut (1069) scripsit Ordericus Vitalis „in tota ubertim innotuit Europa. Unde ad magisterium ejus multi convenerunt de Francia, de Vasconia, de Britannia, nec non de Flandria.” Sufficit autem, indicasse quamnam vim Nominalismus jam nunc in Theologiam habere potuerit, neque uberius de Lanfranci refutatione verba facere licet, quem omnis fere Ecclesia secutus est, quippe quae in sacra coena panem in Christi corporis mutare substantiam, id est, transsubstantionis placitum, tamquam orthodoxam constituerit fidem. Sed longe graviora nos vocant; ad quae properemus.

SECTIO III.

Anselmus.

Interea, Ottone III in primis favente, arti dialecticae magis magisque opera dabatur. Anno 1022 Notkerus *Labeo* nonnulla Aristotelis scripta in linguam Germanicam convertisse fertur, quam *Labeonis* versionem Graffius primus edidit. (Berolini 1837). Nec Aristotelis versiones tantummodo prodierunt; immo (1004) Abbo librum de dialectica scripserat, quo, ut dixit Aimoinus, „quosdam dialecticorum nodos syllogismorum enucleatissime enodavit” 1). Adalberus quoque, Ger-

1) Vita Abbonis apud Mabillonem Act. S. S. ord. S. Bened. T. VIII. p. 39.

berti discipulus, „de modo recte argumentandi et praedicandi Dialecticam,” disputavit. Sic dialectica omnes informabat quaestiones, idque in primis effecit, ut omnes disputationes constituto procederent ordine, quo de gravissimis rebus facilius ageretur. Methodus vero Aristotelis plus quam ipsa ejus doctrina Ecclesiae placuit. Scholasticae nimirum periodi initio, Realistarum sententia fere apud omnes praevaluit. Quod cum ex ipsius Realismi indole, religionis Christianae ratione habita, explicare potest, sequeretur necesse est ex periculosa, ut videbatur, Berengarii de sacra coena doctrina; accedit vero quod omnium sui temporis summus theologus Nominalistas maximo habuerit odio, in Realistas contra partes ita abierit, ut pugna, cum inter et adversarium Nominalistam orta, prae caeteris medii aevi inclaruerit. Anselmum dico, pium illum atque doctissimum, qui veri Scholastici egregium se praebeuit exemplum; qui Ecclesiae placita sincerrima fide amplexus, inter maximos hujus aevi philosophos jure habetur; qui, sanctissimi Augustini ipse discipulus, non tantum apud Catholicos insigni gaudet auctoritate, sed recentioris quoque, reformatae quidem Ecclesiae theologiae pater multis videtur. Illius igitur scripta adeamus, ut longe melius quam adhuc potuissemus, Realismi vim et indolem persentiscamus.

Meminerimus, procul dubio, Berengarii adversarium Lanfrancum fuisse. Ipsi illi Lanfranco, cum doctoris, tum archiepiscopi titulo, Anselmus successit.

Longe alia ac Scotus *Erigena*, Anselmus usus est ratione. Quum enim ab illo quoddam mysticismi studium non abjudicare possimus, quippe qui ex interna luce veritatem petendam censuerit, hic quid verum via

dialectica, indagare studet. Eum nimirum magna cum cura et diligentia ratiocinatum esse dialogus "*de Grammatico*," si quid video, satis probat, ita ut cum Hassio¹⁾ vehementer dubitemus, quin Cousin hunc accurate legisset dialogum²⁾. Caetera quoque Anselmi scripta luculenter docent, numquam eum philosophiae regiam reliquisse viam. Neque incertum est utrum Realista fuerit Anselmus, necne. In dialogo enim *de Veritate* diserte affirmat planissimeque universalia per se adesse, individuâ iis contra nullam veram tribuendam esse essentiam. Atque ei contigit Realismum in Theologia tamquam Ecclesiae constituere doctrinam, ita ut, saeculo undecimo exeunte, haereticus prorsus haberetur, quicumque aliam scholam sectaretur. Quin etiam Roscelinum spernebant, qui, non solum Aristotelem secutus, universalia post rem adesse statuentem, ulterius processit, et nominalismi verus conditor haberi potest. Magna autem adest difficultas in Roscelini doctrina exponenda, quum vel nihil omnino scripserit, vel saltem nihil nobis ex ejus scriptis supersit. Quodsi igitur Anselmo, adversario, aliisque, fides habenda sit, Roscelinum universalia *flatus vocis* vocasse constat. Hanc ob rem illo tempore *vocalista* appellabatur. Nec solus Anselmus ejus mentionem facit; Johannes Salisburiensis quoque, Roscelini Scholam memorans, in libro: "*Polycraticus*" dicit: "Fuerunt et qui voces ipsas genera dicerent et species;".... nec non Otho

1) Anselmus von Canterbury dargestellt, Leipz. 1852. p. 76.

2) Scripsit enim: "car il (dialogus) est tout aussi vain et tout aussi insignifiant, que le morceau de Gerbert.

Fresingius¹⁾, quem laudat Haureau, monet: „.... Roscelinum quendam qui primis nostris temporibus sententiam vocum instituit in logica.” His duobus viris, Roscelino nimirum et Anselmo, quam maxime sibi invicem oppositis, neutriusque doctrina intelligi potest, quum alterutra neglecta. Ipse autem Anselmus Canonicum Compendiensem hoc modo significat: „Qui colorem nihil aliud queunt intelligere quam corpus, nec sapientiam hominis aliud quam animam..... In eorum quippe animabus ratio, quae et princeps et iudex omnium debet esse quae sunt in homine, sic est in imaginationibus corporalibus involuta, ut ex iis se non possit evolvere, nec ab ipsis ea, quae ipsa sola et plura contemplari debet, valeat discernere²⁾.” Haec enim caput accusationis continere videntur, cum simul ét Roscelini ét Anselmi docent sententiam. Hic enim proprietates ab homine ita sejungit, ut colorem, exempli causa, vel sine corpore existere posse statuat; ille autem sapientiam, aliamve virtutem, non extra animam existere docet, quod cum Nominalium sententia plane convenit. Neque hac in re a caeteris Nominalistis discedere videtur. Quum igitur apud eundem, quem supra laudavimus, Johannem, legamus, opinionem Roscelini omnino fere evanuisse, id tantummodo de sententia vocum intelligendum est, cui admodum pauci adstipulabantur. Hac vero superlacione ei opus erat, ut Realismum nimia sibi arrogentem impugnaret. Sufficit tamen Roscelini Nominalismum, et Realismum Anselmi memorasse, ut nunc utriusque principii in Theologiam effectus conspiciamus.

1) De gestis Frederici I, lib. I. 2) Anselmus *de Fide Trinitatis* II.

Primum de Roscelino videamus. Praecipuum Ecclesiae, ad quod nominalis ejus sententia pertinebat, placitum erat de Trinitate. Quod placitum nimirum ita Realismo favebat, ut Roscelini doctrinae plane adversaretur. Nam Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, quamquam tres revera personas, unum tamen esse Deum, Ecclesia tamquam fidem orthodoxam constituit. Quomodo autem haec fides Roscelino placere potuisset? qui aut quot adsint divinae personae, tot Deos esse habebat, aut unum Deum triplici existendi modo sese revelasse dicebat. Prius accepit, quod perspicue patet, quum, quae de Filii incarnatione monuit, attendimus. „Quodsi,” inquit, „Pater, Filius et Spiritus Sanctus unus tantum Deus habendi sint, non video quam ob rem solus Filius caro fieri debuerit. Sic enim non Deus, multo magis vero quaedam Dei veluti pars, humanae naturae particeps facta est. — „Si tres personae sunt una tantum res, et non sunt tres res per se, ita tamen ut voluntate et potentia omnino sint idem, ergo Pater, Filius et Spiritus Sanctus cum Filio incarnatus est.”

Ad haec magis ingeniose quam philosophice respondit Anselmus: „Nulla — trium personarum Dei congruentius semet ipsam exinanivit formam servi accipiens, ad debellandum diabolum et intercedendum pro homine, qui per rapinam falsam similitudinem Dei praesumpserat, quam Filius, qui, splendor lucis aeternae et vera Patris imago, non rapinam arbitratus est Deo esse aequalem, verum per veram aequalitatem et similitudinem dixit: Ego et Pater unum sumus.” Sed argumentum attulit longe majoris momenti, quod et ex ejus petiit principio; „Qui enim nondum intelligit, quomodo plures homines in specie

sunt homo unus, qualiter in illa secretissima natura comprehendet, quomodo plures, quarum singula quaque est perfectus Deus, sint Deus unus? Et cujus mens obscura est ad discernendum inter equum suum et colorem ejus, qualiter discernet inter unum Deum et plures rationes. Denique qui non potest intelligere aliud esse hominem nisi individuum, nullatenus intelligit hominem esse nisi humanam naturam." Nec hoc sane intelligere studebat Roscelinus, qui plures homines in specie unum esse hominem quam vehementer negavit; quare omni illi Anselmi declamationi simpliciter respondit, nec tres unum, neque unum tres esse. Quae autem non contendit, levitate quadam ductus, ut Anselmi irrideret sententiae. Haec enim ex principio nominali effecit videtur, quod cum 1) illa philosophandi ratione, a recentioribus empirica vocata, multum commune habuisse ex iis conficimus, quae reposuit Anselmus: "Ne comparet naturam, quae super omnia est libera ab omni lege loci et temporis et compositionis partium, rebus, quae loco aut tempore clauduntur, aut partibus componuntur." Ad hoc vero, quod de praecipuo theologiae placito, inter ambos viros discrimen obtinuit, infra revertemur, quum cuique theologo quam maximi sit momenti. Dolemus, procul dubio, Anselmo nullum adversatum esse, qui arte dialectica ei cedere non debuisset. Nam Roscelinus, qui negando, Realiumque doctrinam impugnando, optime procedebat, in ipsa theologia contra, nec non in philosophia, Anselmo, multis nominibus, jure inferior habetur. Universalia non nisi *flatus vocis* dicentem, Roscelinum modum excessisse,

1) *Empirica* dico eo sensu, quo hoc vocabulo v. c. Locke usus est.

jam animadvertimus. Sic etiam, quod placitum attinet de trinitate, in vanas incidit opiniones; quamobrem Anselmo plane adstipulamur, qui ita fere Roscelini retulit sententiam, ut primum Roscelinus Tritheïsmum revera docuisse videatur, deinde omnem veram Dei impugnasse notionem, tertio autem loco ne ipse quidem explicasse, qua de causa Filius, qui secunda Trinitatis persona dicitur, caro factus fuerit. Anselmus igitur ex illo certamine, victor redux, summo jure scribere potuit: „Palam ergo est, quod non debeat (ille, contra quem ista dixi) esse promptus ad disputandum de rebus profundis, et maxime de illis, in quibus non erratur sine periculo.” Quem tamen Roscelinum numquam vicisset, si illud, quo ipse niteretur, probe tenuisset, nec Roscelino reponenti tres non unum esse, continuo objecisset: „Agedum fac ut, meam rejiciens doctrinam, ex Ecclesiae placito, quod est de Trinitate, non efficias tres adesse Deos.” Nec video, quomodo umquam Nominalismo contingat, huic placito revera fidem habere. Quum enim cum Nominalistis substantias ab individuis nunquam sejungendas habeam, neque tres personas cogitare potero, qui omnes unius substantiae divinae, id est, unius deitatis participes sint. Cum nimirum singula persona eo censeatur divina, quod aliquid deitatis ei tribuatur, non revera, nec proprio sensu, Deus dici potest; cum vero singula persona omni gaudeat deitate, ut proprio sensu Deus appelletur, non est, quod cum Roscelino contendamus, tres personas, aequa ratione divinas, non *unum* efficere Deum.

Nec vero, qui dogma de Trinitate defendere velint, Anselmum adeant, qui cum *Seyllam* vitasset, *Charyb-*

dim offenderit. Realistae enim non tantum essentiam, vel potius substantiam, nulla etiam individuorum ratione habita, adesse contendunt; sed hanc ipsam, quae per se existat, substantiam, licet individua, quibuscum conjungatur, in infinitum augeantur, unam eandemque manere docent. Quemadmodum igitur in Socrate omnis adsit humanitas, quae tamen reliquis hominibus non deesse videatur, sic quoque una dicitur deitas, cujus tres personae pariter participes sunt. Quae, ut sanae menti plane repugnant, specie tantummodo, a Realistis probari possunt. Nam cum fieri nequeat in Socrate omnem simul adesse humanitatem, atque eum ipsum singulum esse hominem, iisdem verbis diversa tribuatur significatio necesse est. Neque haec mera conjectura. Quum autem, ut vidimus, singula speciem tantum essentiae habere contendunt Realistae, singulum hominem, humanitatis non nisi quendam existendi modum esse, revera censuerunt. Hoc quoque modo ea, quae de Trinitate dixerit Anselmus, intelligenda videntur. Nam sibi constare non potuit, nisi Patrem, Filium et Spiritum Sanctum tres haberet rationes, quibus una divina substantia se patefecisset. Ab ejus igitur doctrina *Sabellianismum* abjudicare non possumus, analogon animadvertentes, quo ipse Trinitatem quodammodo illustrare conatus est. „Fons,” inquit, „rivus et lacus unius ejusdemque aquae sunt, nec tamen alter pro altero sumi potest.” — Haec similitudo, si quid video, satis ostendit nos eum Sabellianismi non temere accusasse.

Quaestionem cum illa, quae de Trinitate agitabatur, arcissime conjunctam, quaestionem dico de processione Spiritus Sancti, de qua, synodi opportunitate ab Urbano II,

anno 1098 convocatae, diserte disputavit Anselmus, attendere non opus est. Haec quidem, licet maximi fuerit momenti, magnamque vim in Graeca habuerit Ecclesia, ad nostrum minus pertinet argumentum.

Acrior vero quam Roscelinus, alius exstitit adversarius, quem ut cognoscamus, indagemus necesse est, quatenam de alio quodam Ecclesiae placito gravissimo Anselmi esset sententia; placitum nimirum de Dei existentia. Antequam vero ad haec pertractanda progredimur, duplicem Realistarum errorem significare liceat, *formalem* nempe (ut solitis verbis utar), et *materialem*. Formalis enim error in eo latere videtur, quod Realistae *quid logice constet, ontologice etiam verum esse haberent*. Materialis error hic est: *ontologice nimium distinguebant substantiam inter et ipsius qualitates*. Haec jam supra monere potuissemus, quae tamen omisi, quum praestet Scholasticorum nonnullos his erroribus reapse fuisse obnoxios indicare, iis ipsis pertractandis, quae philosophati sunt. Magnum enim vitium est, ea quae *intelligentia* per logicam invenit ratiocinationem, hanc tantum ob causam etiam revera adesse putare. Qua enim ratione recepta, ut veritatem indagemus nulla opera, nullo labore, sed tantum ratiocinando opus erit. Ex praestabilitis quibusdam nostrae rationis principiis ducantur, quae vera sunt, nec de iis ulterius dubitetur, non eo quod ipsi rerum veritati respondeant, sed quod cum mente rationali conveniant. Realismum vero, in hoc propugnando errore, sibi constitisse facile concedimus. Omnia enim visibilia, omnia, quae sensu quodam corporeo animadvertuntur, universe spernens, Realismus ideas tantummodo spectat; nam ab initio inde, saltum faciens mortale,

nullum omnino sinit esse discrimen ea inter, quae necessario cogitentur et quae sint. Hunc autem Anselmi, Realistae, errorem negligere non licet, quippe qui non illius tantum, sed recentioribus quoque temporibus proprius esset. Anselmi, quam infra laudabimus, ratiocinatio, licet alias induerit formas, saepius, in eorum philosophorum reperiemus scriptis, qui sese medii aevi doctorem longe superare putent. Quid! Omnis, quam nunc *speculativam* dicimus, philosophia, eodem ac Realismus nitatur principio necesse est; quicumque enim non empirica procedat ratione, attamen sese cognoscere opinetur, ea quae logica doceat, necessaria habebit. Haec vero, quum ulterius explicarem, diutius nos a proposito abducerent. Ad ipsum Anselmum igitur redeamus. Duobus utitur argumentis, quibus Deum revera existere probabit. Unum cosmologicum, ontologicum alterum. Illo quidem jam ab Augustino et Boëthio accepto, hoc tamen ipsi tribuendum videtur.

De argumento cosmologico primum videamus, quod ita fere sese habet: „Quicquid est, non nisi per aliquid est. Quod cum ita sit, aut est unum, aut sunt plura, per quae sunt cuncta quae sunt. Sed si sunt plura, aut ipsa referuntur ad unum aliquid, per quod sunt; aut eadem plura singula sunt per se; aut ipsa per se invicem sunt. At si ipsa plura sunt per unum, jam non sunt omnia per plura, sed potius per illud unum, per quod haec plura sunt. Si vero ipsa plura singula sunt per se, ubique est una aliqua vis, vel natura existendi per se, a qua habent, ut sint per se, non est autem dubium, quod per id ipsum unum sint, per quod habent ut sint per se.... Itaque —

necesse est, unum illud esse, per quod sunt cuncta quae sunt." En Anselmi argumentatio, ex *Monologio* nobis cognita, qua tamen, ipso confitente Anselmo¹⁾, usus est, ut omnino absolutum quid adesse probaret.

Longe majoris ponderis ipse secundum habuit argumentum, quod rectius ontologicum vocatur; quaerit enim, si forte inveniri possit verum argumentum, quod nullo alio ad se probandum indigeret. Constat apud eum: 1° Deum esse aliquid, quo majus cogitari non potest. Convincitur etiam insipiens esse vel in intellectu aliquid, quo nihil majus cogitari potest, quia hoc cum audit intelligit et quicquid intelligitur in intellectu est. 2°. Et certe id, quo majus cogitari non potest, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse et in re quod majus est. 3°. Existit ergo procul dubio aliquid, quo majus cogitari non valet et in intellectu et in re. Quod utique sic vere est, ut nec utique cogitari possit, non esse. Haec ratio cinatio clarior est, quam quae ulla indigeat explicatione. Eam vero vix aut ne vix quidem melius refutare poterimus, quam fecit ignotus quidam Gaunilo in *libro pro insipiente*. Varii generis dubia sunt, quae contra Anselmum afferre conatus est. Falsae enim, inquit, cogitationes sunt, quae nulli rei vere existenti respondent, quod satis probare videtur cogitare et esse non prorsus eadem haberi posse.

Nec magis Gauniloni placet illa vox: *cogitare*, cui potius substituet *intelligere*, id est: *scientia comprehendere*. Vel sic tamen putat nullam per se inter cogitari et esse obtinere necessitudinem. Deinde plane negat

1) Cf. proem. Prosl. p. 41.

absolutum in intellectu concipi posse; quum enim concipiatur, desinit esse absolutum; omnem nimirum cogitandi facultatem longe superat. Anselmo facile concedit, absolutum si cogitare velis, omnino quidem tanquam existens, esse cogitandum; quo probas sane, te cogitasse absolutum, nequaquam vero absolutum vere adesse. Deus subinde nihil nisi vox haberi potest, quem igitur cogitare nequeo, „nisi tantum secundum vocem, secundum quam solum aut vix aut numquam potest ullum cogitari verum.” Quam ob rem quae non sunt optime cogitare possum, veluti me ipsum non existere.

Talibus fere Gaunilo argumentis usus, adversatus est Anselmo, qui tamen plura habuit quae responderet. Concedit „omnia cogitari (posse) non esse, praeter id quod summe est. Illa quippe omnia et sola possunt cogitari non esse, quae initium aut finem aut partium habent conjunctionem et quicquid alicubi aut aliquando totum non est, illud vero solum non potest cogitari non esse, in quo nec initium, nec finem, nec partium conjunctionem ulla invenit cogitatio.” Anselmus autem non animadvertisse videtur, hanc ratiocinationem principii continere petitionem, maxime vituperandam. Primo enim demonstravit absolutum esse cogitandum, quod tamen cogitari nequeat, nisi revera existens. Tum vero dicit omnia cogitari posse tanquam non existentia, „praeter id quod summe est. Admodum luculenter, si quid video, patet, absolutum, quod ipse adesse dixerit, nequaquam non esse cogitari posse. Hoc autem, absolutum etiam extra ipsum intellectum existere, ab Anselmo probandum erat. Quid? quod ontologicum hoc argumentum quodammodo claudicare, ipse Anselmus

animadvertisse videtur, quum, ut suae ratiocinationis caput probaret, ad ipsam cum Gaunilonis, tum cujuscunque hominis conscientiam provocet, quippe quae Deum esse testetur. Quidquid autem hac de re statuendum sit, Anselmum Gauniloni succubuisse apud nos satis constat.

Anselmi enim principium, quò omnis nitebatur argumentatio, sic a Gaunilone oppugnatum est, ut temporis tantummodo tribuamus, non omnes sponte ei assensus fuisse. Nam cum a Realista quaeris, ut quae necessario cogitentur, necessario quoque adesse, tibi probet, nihil habet quod reponat. Neque id explicare poterit, nisi iterum, iterumque monendo ea tantummodo, tamquam non existentia, cogitari posse quae revera non adsint. Quod vero responsum, nescio utrum multis satisfaciat, necne. Neque immerito dicimus, Realismum nullatenus veram habendam esse philosophiam: quia id, a quo initium facere solet, numquam sibi vindicare possit. Quam ob rem ea, quae neque oculis conspiciuntur, neque ex analogia rerum ratio efficere potest, universalis nimirum, vel ideae divinae, jam ante mundum creatum vigentes, quam ob rem, dico, haec universalis assumenda sint, a Realistis frustra quaeritur. Hac in re quoque, Realismus, magistri sui, Platonis rationem plane retulit, quippe qui potius poetice quam philosophice de ideis dixisse videatur. Idcirco Realismum animo a phantasiae studiis non prorsus alieno, aliquatenus satisfacere facile concedo ¹⁾.

1) Probe intelligimus Hauréau scribentem: "Ah! sans doute il est difficile de résister au penchant qui nous pousse à réaliser des abstractions."

Quicumque autem veritatem quaerit, nec in eo acquiescere potest, de quo non plane constet, aliam, quam Realistae, sequatur rationem. Inanes igitur evitet conatus, quos Anselmus instituit ad Dei probandam existentiam.

Nec tamen de summo viro contumeliose dicamus, qui, pius atque sincerus, ex intimo pectore dixerit: „Oro, Deus! cognoscam te, amem te ut gaudeam de te. Et si non possum in hac vita ad plenum, vel proficiam in dies, usque dum veniat illud ad plenum. Proficiat hic in me notitia tui, et ibi fiat plena: crescat amor tuus, et ibi sit plenus, ut hic gaudium meum sit in spe magnum, et ibi sit in re plenum.” Quae non retinenda censuimus, ad hujus theologiae indolem recte dijudicandam. Quodsi enim Anselmum tantum habeamus philosophum, cogitari et esse arctissime conjungentem, atque adeo cum recentioribus philosophis, Fichtio aliisque, omnibus nominibus comparandum, a veritate longe aberramus; licet Ecclesia, nimis improvida, ad omnia, quae Anselmus docuerit, comprobanda festinare non debuisset. Quomagus vero haec Anselmi aetas Realismo faverit, eo magis unus omnium laudandus videtur Gaunilo, quippe qui id temporis ejusdem fere esset judicii, ac multa saecula post, philosophus ille *Regiomontanus*, Kantius; ut jam egregie monuit Daub.

De Theologia egimus. Videamus igitur de Anthropologia, caeterisque. Anselmi dialogus: *de libero Arbitrio*, ansam nobis praebit inquirendi, utrum et hic sibi constiterit. Nulla autem quaestio, quum de homine agitur,

La raison n'avoue pas volontiers qu'elle ignore la nature des causes et qu'elle porte le joug d'une loi dont elle ne comprend que la nécessité.”

tanti habetur, quam quae est de eo, peccatore. Haec autem cum alia quadam, de hominis nimirum libertate, arctissime cohaeret. Neque igitur miramur Anselmum, solidum theologum, hac quoque in gravissima re sententiam libere professum esse. Ut ex Anselmi doctrina de Deo luculenter apparet eum, licet via minus regia, neque a nobis probata, ad theisticam notionem pervenisse, sic quoque eum omnem pantheismum vitasse ejus anthropologia docet. Nam peccatum non tantum negative descripsit, ut Scotum *Erigenam* fecisse vidimus; neque malum in homine tantummodo defectum, sed etiam culpam habuit. Culpa vero nequaquam adesse potest, nisi liberum quoddam homini proprium sit arbitrium, quo et bona et mala opera perficere possit.

Quaeritur autem quo sensu hoc arbitrium acceperit. Augustinum minime secutus, qui hominis libertatem, *conditionem, actum* esse diceret, illam potius *potestatem* vocat Anselmus. Quam ita vocasse videtur, ut libertatem non amitti posse statueret. Quodsi Augustino assensus fuisset, aequae ac summus ille Ecclesiae pater, hominem in mediis peccatis mortuum, nulliusque boni capacem, docere debuisset, quod vero realismi principium minime pateretur. Libertas nimirum, a Deo hominibus concessa, deleri nequit; quippe quae, (sicuti sapientia, tamquam aliquid per se existens, Anselmo cum ipsa anima nequaquam confundenda, multo magis vero ab ea sejungenda videbatur), a Deo procedens, vel ipsius hominis conditionis nulla ratione habita, necessario supersit, etiamsi ea numquam homo gaudeat, atque peccato se mancipaverit. Reponet fortasse aliquis, libertatem nullo modo adesse posse, nisi in ipsis operi-

bus, quae per hanc ipsam libertatem perficiantur, neque hominem liberum esse dicendum, nisi facultate faciendi quae velit, praeditus sit. Cuiam talia repONENTI, brevissimis verbis Anselmus respondere posset, secundum Realium doctrinam, libertatem minime ex ejus effectibus pendere. Licet concedat, in praesenti perversa conditione, hominem ne bonae quidem voluntatis capacem esse, vel sic tamen statuit *potentiâ* adesse, quae *actu* fieri nequeant. Virtus semper manet virtus, quamquam impedita, quominus illa, quae possit debeatque, efficiat; nec facultas desinit esse facultas, omnia etsi tollas, ad quae ceteroquin idonea esset. Libertas illa igitur facultas est, qua omnia velim quae bona justaque sunt; ita ut voluntas *libera* dici possit, etiamsi *ligata*. — Haec fere, ambagibus remotis omnibus, Anselmi doctrina est de hominis libertate; quo simul sponte patet, nullum praeter Realistam sibi constantem, ita sentire potuisse. Ut, ontologico argumento usus, priori, quem indicavimus, errori obnoxius est, quoniam quidemque logice constet, etiam ontologice existere censet, sic posteriorem fugere nequit errorem, hominis libertatem definiens, ab ipsa substantia attributis sejunctis. Nam libertatem, ut diximus, ita ab hominis anima separat, ut hac plane mutata, illa tamen integra atque intacta supersit.

Nec singulos homines, malo quodam fortuito, Anselmus peccatores habet; genus etiam humanum per unius Adami transgressionem depravatum esse docet. — Admodum difficile est dijudicare, utrum ad hanc quoque doctrinam ejus pertinuerit Realismus. Huic quaestioni nimirum negando responderi potest, iis, quae de libero

arbitrio docuit, neglectis. Audimus vero Anselmum statuisse, hominis libertatem *potentialiter* superesse, etsi ea numquam, vel raro saltem fruatur. Unde patet, peccatum, secundum Anselmum, non ita cum humana natura coaluisse, ut purioris vestigia conditionis prorsus omnia delerentur; atque igitur quoad ipsius nostri animi indolem, tamquam accidens quid habendum esse, quod per se existat, neque humanam *naturam* mutet. Quae tamen minime impediunt, quominus homines, Adami causa, malo obnoxii sint. Ut enim a natalibus inde, libertas non *actu*, sed *potentia* adest, sic quoque nos in peccatis concipimur, quippe qui humani generis participes simus. Modo igitur duplici, in hac doctrina de peccato, Realismi effectus conspiciendi sunt; primo quod peccatum, aequae ac libertas, humanam naturam non immutasse censeatur, malum itaque nobis inhaerens ab ipsa hominis substantia sejungatur; deinde, quod in Adamo, id est, in uno singulo homine, totum genus humanum adesse statueret; ut omnino ejus *Angelologia* probat. Nam minime eum fugit, Angelorum alios in malam cecidisse conditionem, alios tamen sanctos purosque remansisse, quam autem difficultatem tollit monendo: „Non enim sic sunt omnes Angeli de uno Angelo, quemadmodum omnes homines de uno homine”¹⁾. Apud illos solummodo quaeritur, quid fecissent singuli; apud hos vero quid a *genere* perpetratum sit. Quibus non adversari videntur quae de justitia docuit²⁾: „Si justitia est rectitudo voluntatis propter se servata, nec ista rectitudo potest esse

1) *Cur. Deus homo* II., 21.

2) *Dial. de veritate* Cap. XII.

nisi in rationali natura: ergo non est ulla natura debitorum justitiae, nisi rationalis, sicut nulla natura susceptibilis est justitiae praeter rationalem. Quare quoniam injustitia non potest esse, nisi ubi justitia debet esse, originale peccatum, quod est injustitia, non est nisi in natura rationali." Animadvertendum est Anselmum peccatum non *hereditarium* dixisse, sed *originale*, i. e. quod nostrae originis causa nobis insit. "In Adam omnes peccavimus, quando ille peccavit, non quia tunc peccavimus ipsi sed quia de illo futuri eramus, et tunc facta est *necessitas*, ut cum essemus, peccaremus." Et porro: "quia ab ipso semine et ipsa conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit *necessitatem*, ut cum habeat animam rationalem, habeat peccati immunditiam." Nullus igitur dubito, quin Anselmi et quae de libero arbitrio, et quae de peccato est doctrina in concordiam redigi possit. Quamquam enim, Anselmo audito, omnino peccandi sit "*necessitas*," malum tamen libertatem alligavit tantummodo, minime vero delevit. Ipsi idcirco homini, mala, quae perpetraverit, imputentur opera; culpaque erga Deum tamquam oneratus, habendus est. Neque ulli mirum videatur, Scotum *Erigenam* et Anselmum, iisdem nisi principiis, ad diversa pervenisse; nec sibi invicem adversari, quae de utroque monuimus. Illum quidem, e Realistarum doctrina, pantheismum effecisse, atque hanc ob causam peccatum necessarium habuisse contendit; posteriorem vero dico, licet aequae Realista fuerit, in theologia veram Dei, tamquam personae, in anthropologia veram peccati, i. e. tamquam culpae, notionem habuisse. Haec autem optime explicanda videntur ex duplici, quem apud Realistas indicavi, errore.

Quatenus alterutrum magis urgeas, alia ex eodem principio ducenda videantur necesse est. Scotus *Erigena* inter substantiam, ejusque attributa ontologice distinguens, posteriori igitur errori tantummodo fere obnoxius, pantheismum vitare non potuit, quum Anselmus priorem i. e. formalem praecipue amplexus errorem, ontologice nimirum vera habens, quae logice constant, eorum quae ex Scoti principio sequi viderentur nulla ratione habita, quid logica doceat, de placitis, quibus fides sit habenda, constituendis, quaesierit.

Ita autem de humanae naturae conditione sentire debuit, ut sibi viam pararet, qua Christum, quamquam hujus naturae participem, sine peccato fuisse probaret. In libro enim: „Cur Deus homo,” indicare studuit, quomodo Deus caro factus sit, nec tamen nostrae corruptioni obnoxius. Quam vero quaestionem Realista nullo modo solvere potuit, nisi humanam naturam peccatis non plane inquinatam esse doceret. Aliud quoddam etiam ei statuendum erat ut omnes refutare posset adversarios. Jure enim quaeri potest, an Christus merito homo appellatus, tantopere a caeteris hominibus differre possit, etiamsi peccatum accidens habeatur, ut, his omnibus peccantibus, ille solus sanctus et purus remanserit. Audienda igitur et quae porro dixit Anselmus: „Spoliavit persona naturam bono justitiae in Adam, et natura egens facta omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices et injustas facit. Hoc modo transit peccatum Adae personale in omnes, qui de illo naturaliter propagantur.” Quae verba postrema imprimis urgenda videntur, causam nimirum continentia, ob quam Anselmus Christum e *Virgine* nasci oportere contendit.

Sic enim non „*naturaliter de Adamo propagatus est.*”
Quemadmodum enim jam „decens erat, ut ea puritate,
qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret,
cui Deus pater unicum filium suum” daret: eum quoque
„ita dare disponebat ut *naturaliter* esset unus idemque
communis Dei Patris et Virginis filius.” Hac enim
ambarum conjunctione naturarum Christo opus erat,
ut munere fungeretur, a Deo ei impositum. Neque in
his substitit Anselmus; nam, quum ex ejus prin-
cipio *formali* sequeretur, a priori ratiocinando, veritatem
cognoscendam esse, ulterius progredi potuit, quo, ab
omnibus partibus, Christologiam suam absolveret, eaque
doceret quae de soteriologia sentiebat. De qua tantum-
modo verbo monere licet. Duplex universe Patribus Ec-
clesiae de morte Christi erat sententia, quarum una
tamen maxime viguisse videtur, quae prae se ferebat genus
humanum usque ad Christum natum sub hostili po-
testate, *Peccati* nimirum, Mortis et Diaboli vixisse, qui-
bus tamen Christus nos liberaverit. *Liberatio* igitur
hujus sententiae cardo est. Altera statuit, vinculum,
quod Deum inter et hominem obtinere debuisset, plane
disruptum esse, Christum vero utrumque reconcili-
asse; summa igitur hujus doctrinae *reconciliatio* habetur.
Qui priorem secuti essent sententiam, hominem nimis
invalidum censuerunt, quam qui Diabolo adversaretur.
Quod autem ab homine perpetrari non potuerit, ipse Deus
suscipit. Diabolo pretium solvit, humanam adeptus na-
turam; nam ut Diabolus peccatorem merito in Hadem
conjicere, in hominem vero, qui numquam peccaverit,
nullomodo saevire posset, suam potestatem prorsus usur-
pavit, quum Christus, eo auctore, cruci affixus est.

Diabolus igitur Christi incarnatione quodammodo deceptus, jure prohibetur, quo minus ulterius peccatores poenis prosequatur. Origenes tamen, alique alteram quoque professi sunt sententiam, qua reconciliatio magis urgebatur. Nobis enim, ut Athanasius docuit, nullius boni neque naturae τοῦ λόγου participibus, Christus, ipsa ἀποζωή, mortem pro omnibus passus, nobis omnibus quoque, in vitam redeundo, ἀφάρτων impertitus est. — Athanasium secuti sunt Eusebius *Caesariensis*, uterque Cyrillus, Ambrosius, Hilarius *Pictaviensis*. Quorum duo posteriores non solum contenderunt Christum poenas, quas homo luere debisset, sua sponte et voluntate, solvisse, sed etiam vocem: „satisfacere” usurpasse. Accedunt Augustinus et Gregorius *Magnus*, eandem fere rationem secuti. Illa igitur doctrina, quae est de Christi satisfactione, jam apud Patres invenitur, atque ab iis magis magisque exulta est; cujus igitur sententiae, ut plerumque fit, Anselmus minime habendus est auctor. Nec tamen immerito haec doctrina Anselmi nomen prae se ferre videtur; quum ejus caput ad Anselmum usque jus haberetur, quod Diabolus sibi vindicare possit in animos peccatorum; his tamen egregie objecit Anselmus: „Homo meruerat, ut puniretur, nec ab ullo convenientius, quam ab illo, cui consenserat, ut peccaret. *Diaboli* vero *meritum nullum* erat, ut puniret, immo hoc tanto faciebat injustius, quanto non ad hoc amore justitiae trahebatur, sed instructu malitiae impellebatur. Nam hoc non faciebat, Deo jubente, sed incomprehensibili sapientia sua, qua mala etiam bene ordinat, permitte.” Cum porro peccatum nihil aliud esse moneat

Anselmus, quam non *omnia* debita Deo tribuere: peccato si ignoscitur, culpa expiatur necesse est. Post culpam autem expiatam, pro ipsa divinae legis violatione, alia Deo tribuenda est obedientia, cui per se non obligari posset. Ex his duobus momentis *satisfactio* constat; quam praestitit Christus, *cum* obedientia sua activa, qua, quia ipse homo erat, Dei jussa observare debuerit, *tum* obedientia passiva, id est, illis operibus *superogatoriis*, quae, dirissimam mortem patiendo, perfecit, ut nobis, non sibi, usui forent. Quis non videt, placitum de satisfactione Christi ab Anselmo magnopere fuisse emendatum, atque purgatum ab inani illa de Diaboli jure quaestione, quae cum vera Christianae religionis indole tota pugnare videtur. Quamquam igitur justa laus ei tribuenda sit, de gravissima doctrina graviter atque haud sine dignitate sensisse, in omnibus tamen, quae hac de re docuit Anselmus, nihil videre possumus, nisi ratiocinationem aliquam, licet minime contemnendam, quae tamen de ipsa re nihil omnino nobis probet, res, ut logica doceat, ita revera sese habere, cum Realistis minime habentibus. Necdum in ipso illo Anselmi argumento vitium latere, quod frustra tollere conatus est, animadvertimus. Immerito enim distinxisse videtur inter obedientiam, cui obligetur, et eam quae abundet. Christus, si quid video, legem divinam nequaquam servare potuisset, nisi ad omnia illa patienda paratus fuisset, quae ex sua sequerentur obtemperazione; deinde quemadmodum ante vitae exitum, Dei consilia omnia nemo exsecutus esse dici potest, Christo quoque nulla opera tribuenda sunt supererogatoria, dum vita gaudebat; constat enim eum, morientem non secus ac viventem, Deo Patri

debuisset obedientiam. Haec vero, quae de Anselmi doctrina monuimus, sufficiant ad vim significandam, quam id temporis Realistarum principium formale in Scholasticorum habuerit Theologia ¹⁾.

SECTIO IV.

Gulielmus a Campellis. Gulielmus Carnotensis.

Gulielmus a Conchis.

Exeunte saeculo undecimo Anselmi discipulus, Odon floruit, qui, ut magister, Realium doctrinam sectatus, Raimbertum, Nominalistam, habuit adversarium. Omnibus vero Odonis scriptis perditis, de ejus Realismo nihil memorare licet. Nec praeter Anselmum, hujus aevi theologia magni habetur momenti, quippe quae omnis stultissimo Realismo dedita esset, cui tamen, saeculi duodecimi initio alia successit doctrina, quae cum sana mente exultiorique philosophia magis convenire videretur; cujus auctor est *Gulielmus a Campellis*. Ecclesia semper Realismo favebat, Nominalismum odio quam maximo prosecuta. Ante omnia vero animadvertendum est, Ecclesiam non eam ab causam Nominalismum tam vehementer vituperasse, quod rationis usum sibi vindicaret,

1) Antequam ad alia transimus, in memoriam vocare liceat, egregia illa doctaque Viri Cl. Haureau verba, quae ut de singulis, et ita universe valent: "Croire en Dieu, c'est simplement affirmer l'existence mystérieuse de Dieu, le définir, c'est réaliser une ou plusieurs abstractions au sein de l'objectif, et c'est en cela que consiste la méthode dite réaliste."

quam quod, illo saltem tempore, ejus doctrina ab Ecclesiae placitis discederet. Nec mirum sane. Ecclesia enim Romano-Catholica numquam futuris prospicere videtur, neque in longius consultare, dummodo praesentibus frui possit. Non tam principia spectat, quam ea, quae ex iis in praesentiarum efficiantur. Ceteroquin Realismo non conixerit, qui Rationalistis, Pantheistis, tempore procedente, viam monstraverit. Quodsi, medio aevo, hujus doctrinae sectatores non eo evenerunt, ut Ecclesiae suam opposuerint sententiam, multo magis contra viri, magna pietate insignes, summisque muneribus functi, habendi sunt: duplex adest causa qua explicetur. Philosophiae nimirum historia luculenter docet, eos, qui alicujus disciplinae auctores dici possunt, non continuo sui ipsius principii conscios fuisse, ita ut initio ab aliorum sententia parum differre viderentur. Deinde, quum de hujus aetatis theologis recte judicare velimus, ne negligamus quae in antecessum monui, eos, atque Realistas imprimis, ad Ecclesiae auctoritatem non raro aut sententiam mutasse, aut saltem reticuisse. Quod tamen non impedit, quominus veram eorum doctrinam, historiae luce veluti colostrati, e tenebris depromamus.

Gulielmus *a Campellis*, ut diximus, cultioris aetatis Realismi exstitit auctor. De quo igitur videamus; non enim nisi verbo memorare opus est Hildebertum *Lavardinum*, illo poëmate satis notum, quo creaturam non in Deo, Deum vero in creatura adesse statuerit, sic incipiente: „Super cuncta, subter cuncta, extra cuncta, intra cuncta. Intra cuncta nec inclusus, extra cuncta nec exclusus, caett.” Qui plura de Hildeberto scire cupiat praeter, alios adeat *Beaugendre*,

Hauréau¹⁾. — Gulielmus, ut ad eum redeamus, anno 1070 natus, ab omnibus, qui de Scholastica scripserunt philosophia, Realistarum primus habetur dialecticus. Postquam *Compendiae*, Roscelino magistro usus fuerat, sedemque cathedralem Parisiis occupaverat, in Sancti Victoris abbatiam recessit, ubi tamen Scholas aperuit. Admodum difficile est Gulielmi explicare doctrinam; quum ejus scriptorum tantummodo duo supersint: de *Eucharistia*²⁾, nempe et de *Origine animi*³⁾, ut docet Cousin.

Manuscripta enim, quae Claudius Jolius Bibliothecae Sanctae Mariae largitus est, nonnullas Gulielmi sententias continentia, Cousin atque Haureau testantibus, nullius prorsus momenti habenda sunt. Nec difficultas sublata videtur, quum animadvertamus Abaelardum unicum fere fuisse, qui Campellani theologi memorabilia nobis tradidit; Abaelardum dico, Gulielmi discipulum insignem, necnon adversarium acerrimum. Quantum nobis cognitum est, documenta, quae reperiisse se dicitur Ravaisson, adhucque nondum edita sunt. Antequam autem Abaelardum audimus, dicamus Johannem *Salisburyensem* pauca, sed docte monere, quae ad Gulielmi philosophiae spectant rationem et methodum, cujus nunc quidem nostra non interest. Longe enim graviora, saepe laudata, saepiusque disputata, quae iterum tamen referre liceat haec sunt: „Erat autem in ea sententia (Gulielmi scilicet) de

1) l. l.

2) Mabillon, *Annal. Hist. litt.* Tom. X. p. 312.

3) Martenne, *Thesaurus Nov. Anecd.*, Tom. V. p. 881.

communitate universalium, ut eandem essentialiter rem totam singulis suis inesse adstrueret individuis; quorum quidem nulla esset in sententia diversitas, sed sola multitudine accidentium varietas" 1). Quam sententiam plane absurdam esse, quis est qui non videat? Merito enim Abaelardus reponere potuisset 2). „Quodsi ita est, quis potest solvere, quin Socrates eodem tempore Romae sit et Athenis? Ubi enim Socrates est, et homo universalis ibi est, secundum totam suam quantitatem informatus Socratitate. Quicquid enim res universalis suscipit, tota sui quantitate retinet." Qua de causa cum Abaelardo facimus, approbante quoque Hauréau, dicente: „Quid contra hoc dicere possit, rationale ingenium non habet;" neque igitur Viris Cl. Cousin, Rousselot assentimur, hoc Abaelardi argumentum vituperantibus. Et ipse Gulielmus a *Campellis* agnovisse videtur, suam ratiocinationem minus justam esse, dummodo scilicet denuo Abaelardo fidem habeamus, nobis Gulielmum tradenti ita mutasse sententiam, „ut deinceps rem eandem non *essentialiter*, sed *individualiter* diceret." Haec igitur posteriorem Gulielmi sententiam referunt. Lubenter autem confiteor, me non videre quatenus posterior a priore differat. Quum enim „*inindividualiter*" legimus, idem dixisse videtur, ac quae jam significabat vocibus: „*simul singulis suis inesse*," licet facile concedamus, hac mutatione priora verba omnino

1) Op. 1. 2.

2) Edit. Cousin, p. 514. Perspicuitatis causa, Abaelardum libri „*de generibus et speciebus*" auctorem dicimus. Nempe sententia in hoc libro exposita, licet non ei ipsi tribuenda sit, tempore tamen Abaelardi viguisse constat.

mitigari. Vel sic tamen viris doctis Baumgarten-Crusius, Cousin, Rémusat displicuerunt, qui Amboise secuti, pro "*individualiter*," "*indifferenter*" legendum esse conjiciunt, secundum quam conjecturam Gulielmi verba sic interpretanda sint, ut haec sibi voluisse videantur: species est res universalis, atque indifferens, quae apud omnia individua ejusdem speciei invenitur.

Quae Cousin probare conatus est, argumentum continent, ex suo ipsius ingenio potius, quam e Gulielmi doctrina petitum ¹⁾. Contendit individua eiusdem generis eo propterea esse eadem quod multa in iis inveniantur similia. His tamen sese opposuerunt Rousselot ²⁾, Ritter ³⁾, quos secutus esse videtur Hauréau, cujus imprimis argumenta maximi ponderis habeo. Ante omnia enim memorat summus ille vir, philosophum quemdam, Abaelardi aequalem, hanc de non-differentia doctrinam alii cuidam, quam Gulielmo tribuisse. Nec negligit quae apud Johannem legimus ⁴⁾. "*Partiuntur status, duce Gautero de Mauritania, et Platonem in eo quod Plato, dicunt *individuum*; in eo quod homo, *speciem*; in eo quod animal, *genus*, sed subalternum, in eo quod *substantia*, generalissimum.*" Quae si non ita fuissent, Abaelardus procul dubio contrarium monuis-

1) Scripsit enim: "*l'identité des individus d'un même genre ne vient pas de leur essence même, car cette essence est différente en chacun d'eux, mais de certaines éléments qui se retrouvent dans tous ses individus sans aucune différence (indifferenter).*"

2) *Etudes sur la philosophie*, etc.

3) *Gesch. der philos.*

4) *Metalog.* lib. II. c. XVII.

set. Accedit quod, eodem ipso Abaelardo auctore, imo coactus dimiserit sententiam Gulielmus; eo eventu, ut non amplius in Scholis docuerit, aufugente fere omni juventute. Quodsi autem sententiae de non-differentia Gulielmus auctor habendus est, haec, quae de eo nimis contumeliosa traduntur, minus conveniunt cum prospera fortuna, quam ad Occamum usque illa gavisata est sententia. Gualterum de Mauritania igitur cum Viro Cl. Ritter, aliisque jam supra commemoratis, quos etiam approbat Jourdain, systematis de non-differentia auctorem fuisse censemus; quod merito Cousin cultiorum Platonis sectatorum professionem vocat. Adhuc enim viguit sententia de universalibus *ante rem*, cujus locum nunc obtinuit doctrina de universali non existente, *praeter individuum*. Quae tamen minime e sensu nominalistarum intelligenda est; quum in hoc systemate acute distinguatur substantiam inter et essentiam; ita ut „Plato similiter (quidem) homo (dicatur) ut Socrates, quamvis non sit idem homo essentialiter, qui est Socrates.” Unde sequitur quod non de individuo *τὸ esse* revera praedicetur, sed de eo quod inter individua non differens sit. Primo ordine igitur ponitur substantiae, cui succedunt genera, species. Quamobrem haec quoque doctrina Realistarum vocanda est; universalia enim in re non ea dicuntur, quae omnibus individuis simul propria sint, sed definiuntur tamquam commune illud esse, commune subjectum, ad quod omnes pertineant formae. Quamquam igitur universalialia *quodammodo* in re inveniantur; eorum tamen origo non petitur ex hominis, sed ex Dei intelligentia.

Ne quis autem dicat hoc, quod de non-differentia est, placitum ad nostrum argumentum minus pertinere. Licet

enim concedamus, hanc Realismi immutationem, in theologia non conspiciendam esse, ejus tamen mentionem non facere non potuimus, nisi rationem plane negligeremus, quomodo medio aevo Realium doctrina processerit. Quicquid enim his de rebus judicandum sit, novam quandam notam characteristicam a Gulielmo Realismo impressam esse negari nequit. Illius temporis nimirum rationem habentes, progressionem agnoscimus inter doctrinam de universalibus *ante rem* et illam quae est de universalibus *a parte rei*, ut a Gulielmo vocantur. Quo nomine designare voluisse videtur, unam essentiam revera in unoquoque adesse individuo, quae individua inter se nullo modo differunt, nisi accidentium varietate.

Jam vero nonnulli Platonem et Aristotelem conciliare studuerunt; licet eorum studia minime propositum assecuta sint. Inter quos, Joanne *Salisburyense* testante, primus recensendus Bernardus *Carnotensis*, de quo legimus ¹⁾: „Egerunt operosius Bernardus *Carnotensis* et ejus sectatores, ut componerent inter Aristotelem et Platonem, sed eos tarde venisse arbitror et laborasse in vanum, ut conciliarent mortuos, qui, quamdiu in vita licuit, dissenserunt.” Hic autem, quamquam ejus doctrina magnopere in scholis invaluit, minus etiam quam alii, idoneus erat ad lites componendas, quippe qui, ut recte monet Dégérando, veteri Orientalium traditioni graecam commiscuerit philosophiam, atque, quod majoris est momenti; „ideam . . . aeternam esse” censuerit; nisi forte eo Aristotelem

1) *Metalog.* lib. II. c. XVII.

sibi placare putaverit, quod, Platonis sententia quodammodo mutata, ideas non Deo coaeternas statuerit.

Hanc vero quam a Platone acceperat, doctrinam de ideis aeternis, ita urgebat, quod ante eum vix aut ne vix quidem ausi fuerunt Realistae, cum a Sacro Codice tum ab Ecclesiae placitis discrepare non veritus sit. Quodsi enim Augustinus ideas principales dixit formas, „vel rationes rerum stabiles, atque incommutabiles quae in divina intelligentia continentur,” numquam tamen, recte animadvertente Haureau, adstipulatus esset Bernardi verbis: „mundus nec invalida senectute decrepitus, nec supremo est obitu dissolvendus exemplari suo aeternatur aeterno 1).” Nec meliore usus est fortuna Gulielmus, anno 1080 *Conchis* natus, qui non tantum Academici et Stagiritae, sed etiam Democriti Epicurique placita in concordiam redigere studuit. Nam profecto ut verus eclecticus sis, aliud quid postulatur, quam ut alii aliam misceas sententiam. Ante omnia oportet ut principia cognoscas, e quibus varii philosophi suam quique effecerint doctrinam; quorum litem deinde, ubi sibi adversari videntur, magno ingenii acumine dirimas necesse est. Ceteroquin eclecticismus nihil est, nisi singulorum placitorum juxtapositio, quae ipsi universae philosophiae nequaquam proderit. Sic quoque apud Gulielmum alia inveniuntur, quae Platonis, alia, quae Aristotelis redolent doctrinam, ita ut summi viri, Hauréau et Rousselet 2) inter se disputaverint, utrum imprimis secutus sit hic noster Gulielmus. Ex ejus operibus unum tantummodo,

1) Cf. Cousin, *Introd.* p. 128.

2) *Etudes sur la philosophie du moyen-âge*, T. I. p. 194 sq.

Hauréau quidem iudice, lectu dignum videtur, nomen ferens, nimium mirum sane *Dragmaticon philosophiae*. Cum Viro Cl. Rousselot autem facimus, Gulielmum, Aristotelem imprimis secutum esse, statuente, duplicem quidem ob causam. In libro enim, cujus mentionem feci, Normandiae dux eum interrogans proponitur, atque primo loco quaerens, quid sit *substantia*. Ad quam quaestionem respondet philosophus, quicquid est, substantiam vocari. Quam substantiam subinde divisam censet in visibilem et invisibilem. Quoad priorem, Platonis approbat definitionem; ut posteriorem explicet Epicurii ontologicis nititur conjecturis. Haec autem divisio Platoni procul dubio valde displicuisset. Accedit quod et mundum aeternum esse negaverit; itaque in gravissima re a Platone aequae ac a Bernardo discessit.

CAPUT III.

INDE AB ABAELARDO USQUE AD ARABUM
PHILOSOPHIAM INNOTESCENTEM.

SECTIO I.

Rerum conditio. Liber "de generibus et speciebus."

Hic autem paulisper subsistendum est; ut rerum conditionem accurate cognoscamus. Saeculi duodecimi initio, realismus ad culmen gloriae pervenerat. Fere omnes, ut vidimus, eorum, qui id temporis maximi habebantur Theologi, Realium secuti erant partes, ita ut jure Johannes *Salisburyensis* scripsisse videatur, omnem prorsus nominalium sectam, sua aetate, evanuisse. Quum primum Realismus *incultus*, ut ita dicam, viguisset, major in dies cogitandi libertas valere incoeperat; unde factum est ut liberior quoque realismus exstiterit, qui doctissimis placuerit viris. Neque est quod valde miremur. Duplex enim facile indicatur caussa, quae explicet, qua de re Realismus ille liberior, hac prima

Scholastica periodo, victoriam reportaverit necesse sit. Primum enim nullus dubito quin, ut et nos jam supra monuimus, et Jourdain, praeter alios, diserte affirmat, theologi, per fidem ad intellectum pervenire studentes, optime sibi satisfacturi essent, Realium viam ingressi. Placita enim Christiana omnem hominis rationem longe superare videbantur, neque in iis aliquid reperiri posse, quod e rebus terrestribus similitudine aliqua cognoscere liceat. A visibilibus ad invisibilia pervenire nimis difficile habebatur opus; experientia doceri, quid de Deo, rebusque divinis sentiendum esset, via ad cognitionem videbatur nimis abjecta; ignorantiam confiteri rerum, quarum doctam ignorantiam nos summam habemus sapientiam, strenue recusabant. Fingenda igitur erant, quae revera non aderant; nam fictae nobis apparent tamquam opiniones, leges illae rationis, quas aeternas immutabilesque dictitauerint Scholastici, eo eventu ut ea, quae intellectus sibi relictus doceat, summa habeatur veritas, quam in dubium vocare nulli liceret. Intellectus igitur sibi sufficiet, qui autem, ut par est, in singulis quae adspiciuntur rebus indagandis, occupari nequit; omnia contra, in universales formas, in categorias redigat necesse est, illaeque formae, per intellectum creatae, vere existunt, i. e. universalia, non singula adsunt. Experiētiā singula cognoscuntur, uno intellectu universalia. Illa igitur non nisi phaenomena sunt, haec contra τὰ ὄντα; a quibus initium faciens, hominis intellectus nulla alia curare debet, praeter illa, quae ipse creaverit. Omnia, quae diximus, copioseque supra exposuimus si uno exprimere velimus verbo, non plane ut spero, a veritate aberrabimus, contententes Realismum esse ra-

tionalismum quendam *poëticum* i. e. phantasia veluti exornatum; quae quum vera sint, sponte intelligitur *cum* Scholasticis, *tum* mysticis nonnullis hanc philosophandi methodum, quam realistam dicimus, maximopere placuisse.

Quum vero attendas praecipua, quae religionis Christianae dicantur placita, ut gravissimum illud de Deo, de Trinitate, de processione Spiritus Sancti, de transsubstantiatione, alia, quis est qui hisce placitis illustrandis rationalismum illum inservire debuisse neget? Quo operante nimirum multa, quae ceteroquin absurda, vel saltem sibi invicem repugnantia viderentur, facile intelligebantur.

In posterum opportunitas nobis dabitur hujus argumenti ulterius explicandi, nec est quin progrediamur ad alteram exponendam causam, qua Realismus tam prospera usa sit fortuna. Haec autem causa latere videtur in ipso adversario Roscelino.

Licet enim nos toto coelo a Realistis discedamus, confiteri tamen oportet, Roscelini refutationem non tantam habuisse efficacitatem, ut quae Realium argumentis imminere potuisset. Historia vero docente, animadvertimus vel imbecillum alicujus sententiae refutationem saepius multum valuisse, ad ejus auctoritatem tollendam, quum haec auctoritas jam dilabi coepisset. Quum contra, sententia qualiscunque alicui aetati valde placeat, vix quidem dicere possumus, quam multum ejus augeatur auctoritas, quando dubia, quae jure parvi habentur momenti, adversus eam afferantur. Hanc ob causam autem Roscelinus ad realismum impugnandum parum invaluit, quippe qui Realium placitis *nimirum* sese opposuerit; i. e. id quod in iis veri latere posset, non attendens,

in contrarias prorsus partes abiit, adeo ut professus sit sententiam non minus erroneam, quam quae a Realistis propugnaretur. Dicamus quod res est: Ut inane nobis videtur tantummodo universalia tamquam revera existentia habere, stultum atque sanae menti contrarium est universalia omnino adesse negare, ut fecit Roscellinus, qui per hanc veritatis veluti trajectionem, sententias, quas e scholis expellere studebat, firmiores reddidit; inprimis, quum manifestum esset, philosophandi, quam secutus erat, methodum eum ipsum perduxisse ad gravissimum, quod est de S. Trinitate, placitum perturbandum.

Secundis igitur rebus gaudebant Realium sententiae; sed, ut plerumque fit et universe in philosophiae historia valet, ipsa haec Realium fortuna in eorum perniciem conversa est. Egregie enim Cousin animadvertit, artem criticam scientiarum esse vitam. Postquam philosophia qualiscumque omnes evicerit adversarios, ipsa plerumque dilabitur, moritur ipsa. Genus enim humanum non idoneum videtur ad omnem veritatem una capessendam. Veritatis vero non nisi particulam quandam cognoscit, semperque nostro imbecillo generi quaerendum, indagandum, ulterius procedendum est. Ne autem per hanc periculosam viam, vires nos deficient, nec dulci quidem, sed eo magis incerta quiete gaudeamus, adversariis continuo nobis opus est, qui, quod nos statuimus, vehementer oppugnent. Quod nisi fiat, in graves errores occurramus necesse est. Adversariorum enim absentiam, nos facile omnium habemus consensum. De principiis, quibus, quam profitemur, nititur sententia, non amplius quaeritur; ut autem castra non eo stabilita videntur,

quod nulli iis immineant hostes, nec sententia victrix haberi potest, quod nullam habeat sibi adversantem.

Quod in genere valet, hic quoque verum est. In memoriam modo revocemus Gulielmum *Campellensem*, suadente Abaelardo, sententiam mutare debuisse; quod Realistis omnino malum erat omen. Virum jam significavimus, Abaelardum nimirum, qui novam constitueret scholam, qui, vi sua dialectica cum Ecclesiae, tum imperanti sententiae odiosus foret, virum dico, qui Realismo et Nominalismo simul sese opposuit, ut novam sequeretur methodum.

Anselmus et Abaelardus! Ecce, duo viri, per quos, licet pluribus nominibus inter se differant, theologia Scholastica inclaruit. Uterque effecit ut per tam longum temporis intervallum, haec theologia floruerit, summis viris satisfacerit, in sequentia tempora multum invaluerit. Inanis enim quaestio videtur, utrum ab Anselmo, an ab Abaelardo Scholastica inceperit aetas. Nam, cum theologiae, de qua nunc agimus, veluti principium condidisset Anselmus, Abaelardo procul dubio, methodus tribuenda videtur, secundum quam theologi hoc principio usi sunt. Anselmo „per fidem intellectum” quaerente, viam monstravit Abaelardus qua, quod quaerebatur, inveniretur.

Vellemus sane haec, quae diximus omnia, argumentis fulcire, nec non pauca addere de viro, cujus vita cum privata, tum publica admodum erat aestuosa, nec minus maximi momenti; vetat autem argumentum quod hoc nostro specimine pertractandum proposuimus. Nunc vero, Viro Cl. Cousin duce, cum Realismi tum Nominalismi persequamur refutationem, quam liber „de generibus et

speciebus” nobis offert. Quem enim librum si vel non cum Cousin, Abaelardo tribuamus, ejus tamen aetate compositum esse apud omnes constat; adeoque jure indicare censetur, quae id temporis adversus utramque philosophiam in medium conferri potuerint.

Abaelardi opera, ut notum est, Cousin edidit; qua editione usus sum. P. 531 igitur lego: „De generibus et speciebus diversi diversa sentiunt. Alii namque voces solas genera et species universales, et singulares esse affirmant, in rebus vero nihil horum assignant. Alii vero res generales et speciales universales et singulares esse dicunt, sed et ipsi inter se diversa sentiunt. Quidam enim dicunt singularia individua esse species et genera, subalterna et generalissima, alii vero quasdam essentias universales fingunt, quas in singulis individuis totas essentialiter esse credunt.” En, habes Realium sententiam, omnibus remotis ambagibus. Sed accuratius etiam eorum refertur thesis: „Homo quidam species est, res una essentialiter, cui adveniunt formae quaedam et efficiunt Socratem, illam eandem essentialiter eodem modo informant formae facientes Platonem et caetera individua hominis; nec aliquid est in Socrate praeter illas formas informantes illam materiam ad faciendum Socratem, quin illud idem eodem tempore in Platone informatum sit formis Platonis. Et hoc intelligunt de singulis speciebus ad individua et de generibus ad species.” Ignoscat, rogamus, benevolus lector si forte nimis copiose hunc locum laudaverim; nam argumenti momentum posebat. Audiamus et refutationem: „Quodsi ita est, quis potest solvere, quin Socrates eodem tempore *Romae* sit et *Athenis*? Ubi enim Socrates

est et homo universalis ibi est, secundum totam suam quantitatem informatus Socratitate. Quicquid enim res universalis suscipit, tota sui quantitate retinet. Si ergo res universalis, tota Socratitate affecta eodem tempore et *Romae* est et in Platone tota, impossibile est quin ibi etiam eodem tempore sit Socratitas, quae totam illam essentiam continebat. Ubicumque autem Socratitas est in homine, idem Socrates est; Socrates enim homo socraticus est. Quid contra hoc dicere possit, rationabile ingenium non habet." Haec quoque, ipsis verbis, commemorare debui, quum mihi saltem ingratum videatur opus, ea, quae Scholastico dicendi genere optime exprimentur, puriori reddere Latinitate.

Haec refutatio maximi nobis videtur momenti, ut auctori quoque visum est, quum nimirum in sequentibus saepius huc redeat. Jure procul dubio quaeritur: "quis potest solvere, quin Socrates eodem tempore *Romae* sit et *Athenis*:" ad quam quaestionem nec facile nec sane libenter respondere possint Realistae. Quod etiam valet de omnibus quaestionibus, ex experientia sumtis; hoc enim Realismi doctrinae proprium est, ut de rebus in facto positis nihil curet, nec quid sit, quaerat, sed quid esse debeat. Hoc modo autem pergit auctoris ratiocinatio: "Quodsi animal totum existens in Socrate languore afficitur, et totum, quia quicquid suscipit, tota sui quantitate suscipit, eodem et momento nusquam sine languore; est autem in Platone totum illud idem; ergo etiam ibi langueret; sed ibi non languet. Idem de albedine et nigredine circa corpus"..... Si id dicant (ut revere dicunt) in quantum est universale non languet, id est, hoc quod est universale aufert, numquam languet,

quia semper ut universale, similiter hoc et singulare aufert in quantum est singulare, quod nullum singulare languet in quantum est singulare, et ita bis habemus in quantum ita: in quantum est universale non languet in quantum est universale." Putarem aliquem audire ex recentioribus philosophis, ex Baconis sectatoribus, ex iis, qui magis magisque intelligant genus humanum numquam veritatis assecuturum esse nisi regiam, empirica quae dicitur, viam ingrediatur. Haec autem missa facientes, de aliis quoque videamus, quibus auctor noster Reales confutare conatus sit. Ad Bernardum enim *Carnotensem* se convertit, qui species et genera, Platonis idearum ratione habita, explicare studuit; quibus ideis tamquam aeternis propositis, merito reponit auctor:....
"Genera et species aut creator sunt aut creatura. Si creatura sunt, ante fuit suus creator quam ipsa creatura. Ita ante fuit Deus quam justitia et fortitudo, quas quidem esse in Deo non dubitant et aliud in Deo. Itaque ante fuit Deus quam esset justus vel fortis. Sunt autem qui negant illam divisionem esse sufficientem: quicquid est, aut est creator aut creatura; sed sic faciendam esse dicunt: quicquid est aut genitum est aut ingenitum. *Universalium autem ingenita dicuntur et ideo co-aeterna*, et sic secundum eos qui hoc dicunt, animus, quod nefas est dictu, in nullo est obnoxius Deo, qui semper fuit cum Deo nec ab alio incoepit.... Nam aequae ut materia, ita et forma universalis est et ita Deo coaeterna, quod quantum a vero deviet palam est." 1)

Quum non liceat, quamquam cuperemus, cum auctore

1) p. 517.

„illam quae de indifferentia est, sententiam perquirere,” illius potius Nominalium doctrinae refutationem audiamus; eoque duce „illam sententiam quae voces solas genera et species universales et particulares praedicatas et subjectas asserit et non res, insistamus.”

Licet minus philosopha ratione procedat, accurate tamen adversus Roscelini placitum contrarium ponit, idque absurdum esse ostendit.

„Res quidem genera et species esse auctoritas affirmat et Boethius qui in secundo commentario super Porphyrium: „nihil aliud species esse putanda est, nisi cogitatio collecta ex individuorum dissimilium numero substantiali similitudine; genus vero collecta cogitatio ex specierum similitudine”.... Item idem Boethius, in commentario super categorias, dicit: „quoniam rerum decem genera sunt prima, necesse fuit decem quoque esse simplices voces quae de simplicibus rebus dicerentur.” Hi tamen exponunt genera, id est manerias. Quasdam autem res universales ait Aristoteles in *Peri Hermeneias* 1): „rerum aliae sunt universales, aliae sunt singulares.”.... Item voces nec genera sunt nec species nec universales nec singulares nec praedicatae nec subjectae, quia omnino non sunt.... Amplius: quemadmodum statua constat ex aëre materia, forma aut figura, sic species ex genere materia, forma aut differentia, *quod assignare in vocibus impossibile est*. Nam cum animal genus sit hominis, vox vocis nullo modo est *altera alterius* materia;.... nam cum habeat eorum sententia nihil esse praeter individua et haec tamen si-

1) *Ar. de interpr.* pg. 23.

gnificari de vocibus tam universalibus quam singularibus, idem prorsus significabit animal et homo, unde hoc e converso vere dici potest, significatum speciei esse materiam significati generis. . . . Quodsi aequae ut partes totius, ita species sunt materia generum, non atque in hoc differunt, imo conveniunt. . . . Nam idem formam non suscipit ad se ipsum constituendum; sed, ait Boethius " "genus accepta differentia transit in speciem." " Nec idem est pars sui ipsius. Nam si idem sibi esset totum et pars, idem esset sibi oppositum."

Quum igitur cum Realium tum Nominalium scholae vehementer sibi invicem adversentur, neutraque veritate gaudeat, tertium quid quaerendum est, quod quum sequamur veram tutamque nobis monstret viam. Tertium illud unum nobis superest. Universalia enim, quum nec res, nec voces sint, *conceptus* sint intellectus necesse est. En habes definitionem, quae, quamquam tantum universalia existere negans, vel sic quidem ea flatibus vocis non aequiparat. *Conceptualismus* enim de singulis quidem quaerit, singulaque accurate cognoscere cupit, ex iis tamen universalia operationis humanae veluti colligit.

SECTIO II.

Conceptualismus in Theologia; Artis dialecticae vis.

Constat nihil adesse praeter individua, neque ullum eorum per se genus dici posse vel species; haec autem individua inter se nonnulla similia habent, quae intellec-

tus noster animadvertit, comparat, sejungitque ab iis, quibus individua inter se differant. Nobis vero hac ratione procedentibus illa, quae animadvertimus, similia ordines constituunt, quibus individua comprehendantur; quos ordines species vocamus vel genera ¹⁾.

Inde novum illud nomen ortum est quo significari solet Abaelardus: *conceptualista*.

A conceptualistarum autem sententia ulterius explicanda abstinendum nobis est. Conferantur igitur, in ed. Cousin, pp. 524, 526, 527, 529—541, ex quibus luculenter patet, humanum ingenium ut a stulto Realismo ad cultiorem, sic quoque ab inepto ad verum Nominalismum progressum esse. Nec tantum id temporis, docte monente Cousin, Conceptualismus Nominalismum evicit; per omnem vero recentioris philosophiae historiam meliorem hanc viam philosophos videmus ingredienti, quoties coecus Realismus regnare incoeperit.

Quum autem conceptualismum habeamus nominalismum, licet alia forma indutum, continuo quaeritur utrum haec quoque nova illius forma in Theologiam invaluerit. Nullus dubito quin affirmando huic quaestioni respondendum sit. Caetera missa facientes, nunc tantum de praecipuo illo, quod est de *Trinitate* videamus placito. Roscelinus, ut supra animadvertimus, dum sibi constare vellet, neque in turpe verborum lusum incidere, aut hoc gravissimum placitum negare, aut *Tritheismum* docere debuerat. Conceptualista vero hanc Charybdim

1) "Les espèces et les genres sont donc, ut egregie docet Cousin, des produits réels de l'esprit: ce ne sont ni des mots, quoique des mots les expriment, ni des choses en dehors ou en dedans des individus, ce sont des conceptions."

vitans, in alterum scopulum incidit. Ex conceptualismo *Sabellianismus* oritur. Qui enim statuit nihil esse praeter individua, tres, quae recensentur, divinas personas, eodem modo ac genera et species, tantum similitudines habeat necesse est differentiis mixtas. Tres illae personae igitur non revera personae essent, sed multo magis tres varii conceptus, ex nostro orti intellectu, ejusdem rei, i. e. ejusdem divinae substantiae. Haec enim divina substantia tantummodo conceptualistis revera existere videtur, quum distinctae personae, *Pater*, *Filius*, *Spiritus Sanctus*, nil nisi variae ducantur formae, sub quibus unus idemque Deus intelligatur.

Nec tantum a priori e Conceptualistarum doctrina sequitur *Sabellianismus*. Ea ipsa, quae de Trinitate Abaelardus philosophatus est, Sabellii sententiam Conceptualismi necessariam esse sequelam luculenter docent; quamquam igitur librum „de generibus et speciebus” Abaelardo tribuendum affirmare recusamus, vel sic tamen eum Conceptualistam jure vocari eo, quod de summo in Theologia mysterio professus est, comprobatur. Videtur procul dubio a *Sabellianismo* quam maxime abhorrere Abaelardus; atque nisi ejus verba attente legimus, prorsus falli videbimur, Abaelardum hujus erroris accusantes. Diserte enim affirmat, divinam naturam esse simplicem, id est, ut alio loco explicat, rebus terrestribus plane dissimilem, quippe quae semper fortuitis proprietatibus praeditae sint. Sic, exempli gratia, aqua numquam sine eo, quo contineatur, apparet; colores sine corpore aliquo, cui proprii sint, numquam videmus, nec cogitatur sapientia sine animo, de quo praedicatur. Divinae autem naturae nihil proprium est,

quod accidens dici possit; omnia absoluta, necessaria omnia, quae in hac natura agnoscuntur. Hoc sensu igitur Dei naturam simplicem esse vult Abaelardus, ita ut, proprietates quaslibet si tollas, ipsam quoque tollas naturam necesse est. Pergit autem: „non propter hoc naturam illam boni simplicem dicimus, quia est Pater in ea solus, aut Filius solus, aut Spiritus Sanctus solus, aut *sola est ista nominis trinitas sine substantia personarum . . .*” Non opus est ut indicemus *haec quidem minime Sabellianismum sonare*. Cuique enim sponte patebit. Videamus autem utrum ea, quae nunc laudavi, comprobentur sequentibus an debilitentur. Debilitantur omnino; addit enim Abaelardus: „. . . sed ideo simplex dicitur, quia est hoc quod habet, excepto quod relative quoque persona ad alteram dicitur.” His ipsis verbis „quia est hoc quod habet” error, quem expellere studuit, redire videtur. Quum enim primum in divina natura nihil omnino distinguendum docuerit Abaelardus, nunc vero eam veluti a se ipsa differre contendit, variarum ratione habita proprietatum. Manifestum est illam divinae naturae simplicitatem verae justaeque de Trinitate notioni nocere, quum hanc unam, substantiam simplicem secundum proprietates distingui posse patiaris. Qua distinctione hoc sibi vult auctor noster, aliam esse Patris proprietatem, aliam Filii, aliam Spiritus Sancti, licet omnes uni substantiae tribuendae sunt¹⁾. Ut unus idemque homo tribus veluti indui potest personis, quum ipse aut cum eo aliusquis loquatur aut ejus mentio fiat, divina quoque substantia alia est persona generans,

1) Vide introd. in Theol. passim.

alia procreans, alia vero procedens. Haec autem de Trinitate sententia talis est, qualis a Sabellio, si quid video, facile accipi possit. Sic enim tres, quae in divina natura distinguuntur, personae, tot modi existendi haberi possunt, sive triplex ratio, qua una substantia proponitur. Licet igitur Anselmi rejiciat verba, quibus, ut supra vidimus, Deus rivo comparatur, qui magis magisque increscens, magnarum fit aquarum fons uberrimus; ab Anselmo tamen verbis magis quam re, quod attinet exemplum, differre videtur, quum nimirum is qui generat, non eodem temporis puncto procreari potest. Ut enim apud Anselmum rivus sese dilatat, quo magnus fiat torrens, apud Abaelardum divina substantia primum generat, deinde ipsa procreatur, ita ut novam adipiscatur proprietatem scilicet: $\tau\omicron\upsilon$ procreatam esse. Immo, nulla prorsus ratione Abaelardi comparatio *Anselmianae* illi dissimilis est. Sicuti enim aqua et tamquam rivus, generans et tamquam torrens procreata dici potest, non video, qua de causa Abaelardus *Anselmianum* illud exemplum jure vituperare possit. — Hisce monitis spero fore ut satis indicasse videar, ecclesiae placito non respondere Abaelardi de Trinitate sententiam, quippe quae trinitatem doceat, tamquam intellectus nostri conceptum ¹⁾. Magna deceptio est, si putes Conceptualistam magis quam Nominalistam ido-

1) Neque igitur non possumus in memoriam revocare egregia illa verba Viri Cl. Cousin quae conceptualismi naturam, quam nunc cognitam habemus, veluti ante oculos depingunt: « le conceptualisme n'est pas autre chose que le nominalisme dans son principe, moins ses conséquences extrêmes qui en révélèrent toute la portée. » Vide operis supra laudati introitum, in fine.

neum esse ad placitum, quod est de trinitate, recte explicandum. Nunc non quaerimus, utrum omnino liceat, aut prosit de summis, quae habentur in theologia, mysteriis philosophari. Omnibus vero volo persuasum sit, Realismo repudiato, nominalismum proditurum esse, licet formas induerit longe diversas. Roscelini error cuique patet, Abaelardi vero saepius latuit, latet nonnumquam. En totum, quod inter ambos viros intercedit discrimen. Prioris Tritheismus ortus est ex studio, ecclesiasticae doctrinae cum sui ipsius nominalista sententia conjungendae; posterioris autem *Sabellianismus* optime explicatur, si animadvertimus, Abaelardum quamquam Conceptualista fuerit, noluisse tamen ea, quae docuerit Ecclesia, prorsus negligere. Unus idemque error utrumque occupat, decipit. Putant quidem nimirum Ecclesiae obedire, nec aliud quid cogitare, quam quae Ecclesia credit, revera contra profitentur, quae ipsorum philosophia doceat. Cernitur autem in Abaelardo major dialectica vis; tum si spectas philosophiam, tum si theologici, de quo nunc res est, placiti rationem habes. Philosophia nimirum Conceptualista ejus saltem temporis, ut vidimus, Nominalismus jure habetur, quem tamen emollivit ars dialectica. Abaelardi de trinitate sententia eandem ostendit artem dialecticam, qua operante aequae ac Roscelinus Ecclesiae doctrinae revera adversatur; non autem Ecclesiam aequae ac hic offendisse videtur. Quod comprobatur egregium illud, quod de eo nobis impertit testimonium Petrus *Venerabilis*; quin ipse notissimus illius adversarius, Bernardus, quippe qui, quatenus nobis saltem notum sit, minus de sententiis haereticis Abaelardum accusaverit, quam de aequivocis ambiguisque dicendi modis.

Ea ipsa autem, quae de placito Trinitatis monet admodum luculenter indicant, Abaelardum illud placitum reapse non magni fecisse. „Tale est,” inquit „tale est ergo deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum profiteri, ac si ipsum, ut dictum est, summum bonum esse praedicimus.” Quum enim Abaelardum audiamus¹⁾, Deus *pater* dicitur ob divinam id est perfectam ejus potestatem; Deus *filius* vocatur quia summa est sapientia i. e. summa potentia discernendi; Deum autem tamquam *spiritum sanctum* colentes summam eum significamus „caritatem benignitatemque.” Verborum sensus sponte animadvertitur. Quid plura? Quamquam Abaelardum audacem magni facimus, omnium unum gravissimae illi Ecclesiae auctoritati adversantem, propugnatoremque accerrimum illius, qua nos gaudemus, cogitandi libertatis, quamquam ecclesiastica Bernardi *Claravallensis* severitate minime dilectamur, verborum tamen sensus, quem significavimus, ratione habita, Bernardum optime intelligimus scribentem²⁾: „Irridetur simplicium fides, eviscerantur arcana Dei, quaestiones de altissimis rebus temerarie ventilantur, insultatur patribus, quod eas magis sapiendas quam solvendas censuerint.” Nos enim non, ut Bernhardus, Cl. Abaelardum vituperamus, nimia cogitandi usum libertate; multo magis Abaelardo crimini esse censemus, eum non *majore* usum esse libertate; quodsi saltem hujus rei doctorem saeculi undecimi accusare liceat. Quum nimirum liberior fuisset, non tantum res, sed cum rebus ipsa mutasset nomina, nec

1) Introd. I. passim.

2) Ep., IX.

Trinitatis nomen servasset, ea ipsa, quae de trinitate docebat Ecclesia, philosopha impugnans ratione.

Animadvertamus enim oportet, quam magna notionum sibi invicem adversantium perturbatio sit. In Abaelardi opere cui titulus est: *Christiana Theologia*, legimus: „Tres itaque proprietates non tres res dicimus, id est non tres essentias, sed tres in una essentia relationum diversitates, per quas, ut dictum est, tres personae consistunt.” Persona igitur apud Abaelardum idem valet ac proprietas. Quemadmodum vero tribus „in una essentia relationum diversitatibus” personas significari numquam patimur, veram trinitatis notionem Abaelardum professum esse negamus; licet, ut aequum feramus iudicium, addamus necesse sit, auctorem nostrum ipsum confiteri omnia, quae de Deo dicuntur, „translationibus et parabolicis aenigmatibus involuta (esse), et per similitudinem aliquam investigari ex parte aliqua inductam, ut aliquid de ineffabili majestate suspicando potius quam intelligendo degustemus.” Quae quo modestiora sunt veroque docto digniora, eo magis miramur hanc, quam de trinitate, protulit sententiam, sibi satisfacisse.

Adjiciamus nonnulla, licet breviter de Abaelardo, artis dialecticae magistro. Oculos igitur in eum convertamus, qui prae omnibus aequalibus philosopho praeditus fuerit ingenio, atque ejus scholas permulti frequentaverint discipuli. Quamquam ipsa Aristotelis scripta adire ei non licuit, quae continebant tamen e versionibus commentariisque cognita habuit; quibus artis dialecticae doctioris peritior factus est. Quam tamen cognitionem cum lectionibus, tum scriptis haud paucis

ita divulgare studuit, ut alii quoque in Aristotelica philosophia operam navarent. Invitis adversariis, doctrinam Abaelardi damnandam curantibus, ejus exemplum magnam vim habuit et efficacitatem ad illam, quae liberior dicitur, theologiam fovendam. Hanc autem theologiam liberiolem laudibus nostris ornare possumus, quum universe Abaelardus animos revocaverit ab insana atque inani illa philosophia, quae in aeternum frustra quaeret de iis, quae hominis rationem longe superent. „Scimus omnes,” inquit, „in his, quae ratione discuti possunt, non esse necessarium auctoritatis iudicium, . . . quod (autem) capi non potest loco, humano non comprehendatur animo.” Sequentia vero nostris imprimis temporibus in memoriam revocare prosit: „Quae major indignatio fidelibus habenda esset, quam eum se habere Deum profiteri, quem ratiuncula humana posset comprehendere, aut mortalium lingua disserere?”

Non quidem immemores sumus omnium vitiorum, quae liberiolem illam medii aevi imprimis theologiam inquiverint, neque ignoramus pleraque illius placita subtiliora, quam veriora fuisse quin, indolem retulisse rationalismi *recentioris temporis*, hanc vero praesertim ob causam illius auctor laudandus nobis videtur; et, nostri ratione habita propositi, commemoratione dignissimus, quoniam haec ratio philosopha, quae inde ab Abaelardo in Theologiam magis magisque valere incepit, quam arte conjuncta sit cum rerum mutatione, post Abaelardum conspicua. Quum enim, ut proximo capite vidimus, Realismus isque stultissimus cum in philosophia tum in theologia regnaverit, sequenti periodo nominalismus potius palmam tulit cum *mysticis* aequae ac *scholasticis*

studiis arcte conjunctus; quod praesertim, procul dubio, Abaelardo tribuendum videtur, licet alia accesserit causa, eaque gravissima, quae multum attulit ad Aristotelis auctoritatem augendam. Hanc causam dico Arabum philosophiam.

SECTIO III.

Gilbertus Porretanus.

Primum autem eorum fiat mentio, qui scripserint ante *Arabum* innotescentem philosophiam. Quod ut ordine faciamus primum oculos in Gilbertum *Porretanum* convertamus.

Hunc Gilbertum cum Viro Cl. Haureau virum ducimus minime contemnendum; quem multi scriptores nimis neglexerunt, inter quos Meiners, Brucker, Roussetot recitare liceat. Libri quos edidit "*de Trinitate*"¹⁾ et "*de sex principibus*" virum nobis monstrant fortem, cujus vigorem in multis theologis oppugnandis non possumus non mirari. Systema nobis praebuit absolutum, licet non multa docuerit, quae nondum apud alios reperiantur. Bernardo *Carnotensi*, Anselmo, Radulpho praeceptoribus usus, nec tamen ad eos sese

1) Hic liber de Trinitate est commentarius ad ea, quae hac de re scripsit Boëthius. Magnum inest acumen ingenii, nec Graecae linguae ignotus fuisse videtur Gilbertus.

informavit. Aristotelem ante omnes magistrum sibi elegit, quem an secutus sit, nunc indagandum. Quae autem de Gilberto acutissimus ille, Joh. *Sarisburiensis* monuerit, primum videamus: „..... alius ¹⁾ cum Gilberto *Pictaviensi* universalitatem formis nativis attribuit et in eorum conformitate laborat. Est autem forma nativa originalis exemplum, et quae non in mente Dei consistit, sed rebus creatis inhaeret. Haec graeco eloquio dicitur *εἶδος*, habens se ad ideam ut exemplum ad exemplar, sensibilis quidem in re sensibili, sed mente concipitur insensibili; singularis quoque in singularis, sed in omnibus universalis.”

His igitur commemoratione dignissimis docemur Gilbertum universalia *ante* rem non statuisse, sed ea tantummodo esse formas, quibus individua adsunt. Haec autem plane respondent iis, quae inveniuntur in „*Ganfredi Mon. Claraevall.* epistola ad Episc. *Albanensem* de rebus gestis in causa Gilberti *Porretani*” a Viris cll. Gieseler et Baur laudata, ubi legimus: „Duo nomina tradit substantiae designari, videlicet quod est et quod est, essens atque essentiam, sicut album et albedinem interdum significare dicitur et rem albam. Id ergo, quod est, unum esse in trinitate consentit, formam scilicet et naturam deificam matremque ut ita dixerim trinitatis.” Videmus igitur Gilbertum philosophum suum principium continuo ad placitum, quod est de Trinitate, applicantem. De quo placito optime Gilberti cognoscemus sententiam, quatuor illis ex ejus Commentario capitulis legendis, de quibus, secundum Virum Cl. Gieseler,

1) *Metalogr.* lib. II. c. XVII.

Vasquezius nos certiores facit ¹⁾. Quatuor capitula haec sunt: I. Quod divina natura, quae divinitas dicitur, Deus non sit, sed forma, qua Deus est: quemadmodum humanitas homo non est, sed forma qua est homo. II. Quod cum Pater et Filius et Spiritus sanctus unum esse dicuntur, non nisi una divinitate esse dicantur: nec converti possit, ut unus Deus, vel una substantia, vel unum aliquid Pater et Filius et Spir. S. esse dicantur. III. Quod tres personae tribus unitatibus sint tria; et distinctae proprietates tribus, quae non sunt ipsae personae; sed sunt tres aeternae, et ab invicem a divina substantia in numero differentes. IV. Quod natura divina non sit incarnata. — Post haec quatuor articula, cum animi attentione lecta, vix aut ne vix quidem intelligimus, quomodo factum sit ut nonnulli in incerto versentur, utrum potius Realista an Nominalista dicendus sit Gilbertus. Nullus enim dubito quin omnino Conceptualistarum partibus eum adscribere oporteat; quod non tantum ex Aristotelis ejus studio sponte conficitur, sed quoque ex ipsa ratione, qua cum de divinitate, tum de humanitate dixit. Inde, si quid video, quam luculenter patet numquam eum existimasse inter Deum et Deitatem aut inter attributa divina intercedere realem ullam distinctionem sed tantum theologicam.

Fortasse locus ille, quem ex „summis Roberti *Melod.* 2)“ nobis tradidit Haureau, ansam praebuit hujus dubitationis. Legimus; „secundum istos“ (est Gil-

1) Vide comm. in Thomam P. I. disp. 120. cap. 2, sive Du Plessis *d'Argentré*, coll. judic. T. I. p. 39.

2) MSS. St. Vict. n°. 404.

berti sententia, cujus mentio fit) „secundum istos, Deus et Deitas sunt sicut formatum et forma: nam divinitatem dicunt esse formam.” Et porro: „Formam Dei divinitatem appellant. At omnis forma formati est, divinitas ergo alicujus formati forma est, scilicet Dei trinitatis.” Haec quidem, quid sibi voluerit Gilbertus, accurate tradere videntur. Fateamur quod res est. Possumus omnino ex iis, quae laudavimus, conficere Gilbertum ita distinxisse formatum inter et formam, ut hanc tamquam universale revera existens habuerit, illud vero singulare esse duxerit, quod non revera adsit, nisi quatenus universali veluti nitatur. Ulterius etiam progrediemur. Si quis rogat an quoque Realistae formatum inter et formam distinguere possint, affirmando procul dubio respondendum mihi videtur. Vel sic quidem tamen Gilbertum Realistam fuisse negamus, licet ex his ipsis verbis, in cujusnam pedibus abierit Gilbertus non luculenter pateat. Optime vero difficiliorem hanc quaestionem illustrare, quàm etiam omnem dubitationem possunt illa quae Johannes Sarisb. scripsit, jam supra laudata: „.... forma natura originalis quae non in mente Dei consistit, sed rebus creatis inhaeret.” Haec omnem revera tollunt dubitationem; quippe quae doceant „formas nativas originales,” id est, universalialia, non sicut Platonis ideae, ante ipsas res exstitisse, inhaerere vero rebus creatis. Quae forma nativa jure dici potest „singularis in singulis, sed in omnibus universalis.” Humanitas, exempli gratia, forma est, quam omnes, qui dicantur homines, inter se communem habent. Non homines dicendi essent, nisi hujus formae omnes essent participes. Vocem humanitatis autem non eo sensu accipit Gil-

bertus, ut, quemadmodum apud Realistas, sit unum illud totum, sit universale illud, cui, ut existat, non opus est individuis; nam diserte affirmat humanitatem ipsis hominibus inhaerere. Sic quoque, ut ad illud, de quo egimus, placitum redeamus, trinitatem habet formam, cujus si quis particeps sit, jure deus vocari possit. Affirmat autem Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum divinitatis forma esse praeditos, unde sequitur Filium et Spiritum S., aequae ac Patrem deos esse dicendos. Ut vero dii dicuntur, quatenus unam formam communem habeant, „ex unius divinitate participatione (sunt Rob. *Melod.* verba) tres personas unum Deum esse asserunt.”

Divinitatis igitur forma universale est quod intellectu concipitur. Eam tantummodo ob causam Deum inter et deitatem distinxit, ne Filium et Spiritum S. videretur habere unius Dei proprietates, non autem personas. Quo fit ut ejus sententia Realistis quam maxime opposita sit. Hi enim potius statuunt divinitatem i. e. universale revera existere, Patrem, Filium et Spiritum s. esse formas quibus sese induat universale. Gilbertus contra universale habet formam, qua Pater, Filius, et Spiritus s. praediti, revera personae divinae dicuntur. Tres personas hujus formae participes esse addat *neesse* est; nam eo significari vult non Patrem tamquam Patrem, nec Filium tamquam Filium, nec Spiritum tamquam Spiritum esse deitatem. Quod nisi addidisset, non video quomodo illud fugere potuisset quod in libro „de generibus et speciebus” contra Realistas jure scriptum vidimus. Quemadmodum enim ibi legimus: „quod,” hominem videlicet, „rem unam (esse) essentialiter, cui adveniunt formae, quod si ita est,

quis potest solvere quin Socrates eodem tempore *Romae* sit et *Athenis*? Ubi enim Socrates est, et homo universalis ibi est"..... ii quoque qui deitatem doceant esse universale revera existens, "cui adveniunt formae quaedam" explicent necesse est, utrum deitas illa, eodem tempore tamquam Pater, tamquam Filius aliquid perficere possit. Articulorum, quae laudavi, quartum iudicium nostrum comprobatur; articulus sic sese habet: quod natura divina non sit incarnata. Haec enim Gilberti thesis maximi momenti videtur, quippe quae indicet eum acute distinxisse naturam inter et personam, ideoque ostendit eum, quod saltem de Trinitate placitum attinet, non fuisse Realistam. Non enim fieri potest, Realistas audientes ut hanc patiamur distinctionem. Realistae enim dixerint divinam naturam, quatenus sit Filius, incarnari; quam enim naturam singulis a personis sejungere nequeunt; ut ex articulorum, quae Gilberto Bernardus opposuit, quarto patet: "Credimus ipsam Divinitatem, sive substantiam divinam, sive naturam divinam dicas, incarnatam, sed in filio esse." Postremo loco odium, quod sibi peperit Gilbertus a parte Bernardi, confirmare potest quod de eo tulimus iudicium.

Videamus igitur breviter quid ex ejus doctrina sequi debeat. Sequi debet atque sequitur Tritheismus *moderatio*. Haec denuo comprobant quae supra diximus de Conceptualismo, id saltem temporis Nominalismo haud dissimili. Quemadmodum enim tres personae formae humanitatis participes, tres homines jure dicuntur, tres quoque, quae divinitatis utuntur forma, tres merito habentur dii. En ipsum fere illud, ad quod pervenerat Roscelinus; nam, licet aliis verbis usus sit Gilbertus, inter utrumque

nullum fere intercedit discrimen. Ecclesiam vero non eum aeque ac Roscelinum odio persecutam esse non est quod valde miremur. Bernhardus enim ut Gilberti doctrinae melius adversaretur, ipse fidei symbolum, quatuor articulis, constituit, quo doctrina orthodoxa contra haeticam comprobaret. Hoc symbolum Papae tradidit, quod repulerunt *Cardinales*, Bernhardi auctoritati jam diu invidentes. *Cardinalibus* Bernhardo cedere coacto, factum est ut de tribus articulis postremis nihil dijudicatum sit. „De primo tantum Romanus pontifex definivit, ne aliqua ratio in Theologia inter personam et naturam divideret, neve deus divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi.” Quum igitur locum Gilberto designare velimus, eum quodammodo Roscelinum inter et Abaelardum, attamen conceptualistam fuisse contendimus ¹⁾.

SECTIO IV.

Varii doctores, usque ad finem saec. XII. de Mysticismo.

Ars autem dialectica, quam excoluit Abaelardus, quam fovit quoque Gilbertus *Porretanus* plurimis

1) Ita ut nunc quoque comprobentur quae ex egregio Viri Cl. Cousin introitu jam laudavimus: „le conceptualisme n'est pas autre chose que le nominalisme dans son principe, moins ses conséquences extrêmes.” Quamquam, meo saltem iudicio, *tantummodo* de conceptualismo valent, qualis medio aëvo floruerit.

quidem satisfacere potuit, nec vero omnibus placuit ingeniis. Quaestiones illae subtiliores, quibus haec ars ansam praebuit, quamquam Ecclesiae non illicitae, dubiae tamen et periculosae videbantur. Dum Realistae, orthodoxa placita fide amplexi, de iis philosophati essent, atque eos evicissent, qui in contrarias abiissent partes, non erat cui sese opponeret Ecclesia. Longe vero alia ratio, Abaelardo auctore, in Theologia invaluit, quam et sequebatur Gilbertus, methodum commendans vere nominalistam. Formale enim ejus doctrinae principium, falsissima haec erat opinio, in Theologia leges valere diversas ab iis, quae in caeteris servantur disciplinis. Quod cum revera ita sese habeat, fieri poterit ut in Theologia quid verum sit, quod in philosophia exempli causa, jure falsum habetur. Nitebatur illa Gilberti sententia ejus doctrinâ de Deo rebusque divinis, quas toto coelo a rebus humanis differre dictitabat, ita ut de utrisque non pari ratione agendum censeret. Licet formale hocce principium, initio saltem, Ecclesiae doctrinae non noxium fuerit, dum fides sive potius doctorum obtemperantia pergeret ea credere, quae rationi humanae absurda viderentur, atque maximopere contraria, hominis tamen ingenium harmoniam aequae ac libertatem quaerit. Harmonia vero humano ingenio numquam paratur, dum nullum adsit criterium, quo quid in omnibus verum sit, homo cognoscat. Nec libertate umquam gaudere potest, dum auctoritati Ecclesiae sive alicujuscunq̄ue serviliter morem gerere ei oporteat. Quo fit, ut per longum temporis intervallum hanc discrepantiam genus humanum pati nequeat. Quaerit, ut vidimus, harmoniam; liberum esse studet. Duplex adest ratio, qua utriusque compos

feri possit. Possunt enim ea quae sibi invicem adversentur, conciliari, philosophia exempli causa cum theologia; sive alterutra plane tollatur necesse est. Liceat aliis verbis exprimere quod sentio. Adsunt revera et adfuerunt, qui nullam omnino philosophiam inter et theologiam agnoscant discrepantiam, qui, licet olim acerrimam inter utramque viderint pugnam, omnia inter se contraria superaverint. Hi procul dubio regiam inierunt viam ut, quibus eorum ingenio opus est, harmoniam libertatemque recuperarent. Verum non omnes, quae se invicem impugnantia agnoscant, hac ratione placare possunt. Longe aliam ingrediuntur viam, quae denuo in duos se dividit tramites. Theologiam enim ullam adesse negant, aut philosophiam ita flocci pendent, ut in summis, in quibus humanum ingenium occupatur dijudicandis, nihil ei tribuendum videatur. Hi posteriores vulgo mystici vocantur, ita fortasse optime significandi. Sunt enim, qui omnium disciplinarum theologiam primam habeant, ita ut, caeteris omnibus relictis, theologiae aures praebere debeant. Quod vero theologiam jure atque merito tam magni facere videantur, tribuendum est rationi, qua putant se Deum cognitum habere; qua ratione fit, ut vocem theologiae peculiari quodam sensu accipiant. Iis enim persuasum est nulla intelligentia, nullis rationationibus opus esse, neque ullam requiri philosophiam ad Deum recte cognoscendum. Itaque ab omni arte dialectica quam maxime abhorrent. Res divinae contemplandae, non ingenio indagandae sunt. Omnia ex intimo corde, ex pectore omnia petantur. Noscere est credere, credere autem est amare. Neque amare aliud quid est quam penitus persentiscere, quo arcto cum Deo

juncti simus vinculo. "Quatuor" ut unus e mysticis inquit — "quatuor sunt in quibus nunc exercetur vita justorum . . . lectio *sine doctrina*, meditatio, oratio, operatio; quinta deinde sequitur contemplatio, in qua quasi quodam praecedentium fructu, in hac vita etiam quae sit boni operis merces futura praegustatur." Contemplatio igitur summum est, ad quod pervenire possit homo, quam ut melius etiam cognitam habeamus, alium quendam e mysticis, Richardum nimirum, animadvertamus, sex in contemplatione distinguendum gradus, quorum quintus quidem refert contemplationem *supra, sed non praeter rationem*, quorum ultimum vero ita significat Richardus: *supra et videtur esse praeter rationem*.

Summus vir, Neander, nunc fato eheu defunctus, egregia sapientissimaque nobis reliquit verba, quae in hunc locum optime applicare possimus. Scripsit enim in diario, quod dicitur: *Deutsche Zeitschrift für Christliche Wissenschaft und christliches Leben* 1850, "Qui per longius temporis intervallum humanum ingenium occupaverint errores, quum tollere cupias, persentiscas ipse necesse est, e quamam orti sint veritate; nec non ut desiderium cognoscas, quod hujus aliusve erroris causa sit." Quod igitur probe teneamus. Neque immemores simus, mysticismi imprimis ratione habita, eorum quae ex his verbis sequuntur. Nam vel apud optimos, qui de philosophia egerunt, scriptores, apud Haureau, exempli causa, non raro occurrit mysticismum ita despici, ut plane inepti stultique videantur, qui hanc mysticam amplexi sunt methodum. Fateamur autem quod res est. Nec tantum scholasticismus, sed omnis universe disquisitio, quae unice fere spectat intelligentiam, toti homini

satisfacere nequit. Omnem hominem simul excolere, en, pensum vitae, cui admodum pauci tamen consulunt, qui humanitatis doctores ducesque esse sese dictitant. Quidquid sit, theologia, quae medii aevi dicitur, omnis fere in exsiccata atque arida desiit quaestiones, neque ille, qui Scholasticismum cum mysticismo conjungere studuit, Hugonem a *Santo Victore* dico, is erat, qui omnibus satisfacere potuerit. Memorabile lubet afferre exemplum, quod luce clarius ostendit, quam humanae naturae conveniens sit, post longam inutilemque disquisitionem philosopham, e medio scepticismo, in mysticismi braccia sese conjicere. Sumtum est exemplum ex iis, quae de philosophia Arabum nobis tradidit doctissimus Schmölders, in libro cui titulus est: *Essay sur les écoles philosophiques chez les Arabes*, caet. Paris 1842¹⁾.

Hujus excursus minime nos piget, nam ea hominum studia, quae in philosophiae historia mystica vocare solemus, non uno nomine nostro cum argumento cohaerent. Mystica enim studia illa et cum Realismo quam arcte conjuncta sunt, et multum effecerunt ut deinceps

1) Quae autem laudaturns sum reperiuntur in tractata Abou Hamid Mohammedis et (p. 23) in versione Franco-Gallica sic sese habent: „le malaise” — scripsit enim Abou Hamid de magnis, quibus premebatur difficultatibus, quum diversarum omnia sectarum indagisset placita, neque alicubi veritatem invenisset — „le malaise qui je ressentais était bien grave et dura environ deux mois . . . jusqu'à ce que Dieu me guérit de cette indisposition et de ce malaise, et que mon âme recouvra la paix et la santé. . . . Cela ne se fit pas par composition de preuves et par des raisonnements systématiques, mais par un éclat de lumière que Dieu me jeta dans le coeur. Quiconque s' imagine qu' une vérité ne peut être rendue évidente que par des preuves, met des bornes bien étroites à la large miséricorde de Dieu.”

Nominalismus in historia saepius palmam tulerit. Praeterea nobis cordi erat de mysticismo dicere quod sentimus. Ex dictis enim patebit nos minime illud, quod in omnibus adest desiderium, parum intelligere. Mysticismus igitur, quem vituperamus, non est sensus ille religiosus, qui egregius in Spenero e. e., aliisque cernitur; mysticismum vero hunc improbamus, qui, omni sprete intelligentiae disquisitione, reliquarum omnium disciplinarum religionem moderatricem esse permittat.

Mysticismo, qui in *Victorinorum* prodiit schola, temporis spatium impletur, quod intercedit Abaelardum, Gilbertumque inter et *Arabum* philosophiam sive potius philosophiam Graecam, a philosophis *Arabibus* excultam. Ex ipsius Mysticismi ratione atque indole sponte sequitur, inter mysticos non acute Realistas et Nominalistas distingui posse, ita ut, sicuti universe fecimus, hic in primis singula placita magis quam Theologos spectaturi simus. De praecipuis igitur placitis videbimus utrum Realium an Nominalium respondeant sententiae.

Gulielmus a *Campellis*, postquam, ut vidimus, Abaelardo cedere coactus esset, in sancti *Victoris* monasterium refugit, ibique scholam aperuit, quae deinceps magnopere inclaruit, ac universe postrema, ut ita dicam, Realismi nobis repraesentat conamina, antequam *Arabum* scripta, jamjam innotescentia, Aristotelis auxerint auctoritatem. Hujus scholae doctores quum enumerare velimus, primus in censum venit Hugo a *Sancto Victore*, de quo jam verbo monuimus. Dialecticam quidem Abaelardi methodum cum Bernhardi dogmatismo conciliare voluisse dicitur. Voti autem non compos factus esse videtur. Quum enim philosophia, quae id

temporis viguit, ei non satisfacisset, magistrum imprimis sibi elegit Dionysium *Areopagitam*; quo factum est ut non revera e variis fontibus iudicio arbitrioque suo, quantum quoque modo videbatur, hauserit, sed multo magis huic magistro sese mancipaverit. Itaque huic conciliandi difficiliori operi sufficere non potuit. In libro, cui titulus est: *Eruditio didascalica*, Viris Cll. Tennemann et Dégérando recte monentibus, Aristoteli Platonem praeferre videtur. (l. II. c. 6). Majoris vero momenti est, quod in ejusdem operis libro primo, c. XII, diserte affirmet: „rerum incorrupta veritas ex ratiocinatione non potest inveniri.” Est autem animadversione dignissimum, Hugonis doctrinae partem formalem elementis constare, longe inter se differentibus. Nonnulla enim effatus est, quae Nominalismum redolent, nec non multa alia, quae eum Realistam fuisse indicare videntur. Quod de Hugone valet, quodammodo etiam de omni Mysticorum schola dici potest. Atque facile, si quid video, explicatur. Hoc enim *cum Nominalistis* commune habent, quod omnem fere rationi denegent auctoritatem, ut ex sententia modo laudata sponte apparet. *A Nominalistis* denuo maximopere discrepant, quum minime, Ecclesia tantummodo suadente, credendum esse putarent. Hac in re igitur Mystici et Realistae inter se conveniunt, ut uterque quodammodo suo iudicio stare videantur, nec veritatis fontem aliunde quaerendum esse censeant, nisi ex ipso homine. Sensus enim apud Mysticos Scholasticorum intelligentiae locum occupat. Quod inter uterque intercedit discrimen si bene teneamus, in Mysticis iudicandis eadem, qua apud Scholasticos utamur, ratione procedere possumus. Quod in se ipsis reperiant, objective

verum esse censent, en habes, nisi omnia me fallunt, quare eos a Realistis non differre putem. Ad veritatem vero inveniendam rationem humanam in ipso homine nihil prorsus valere, sententia est, cui una cum Nominalistis nomen dare potuerunt, atque revera dederunt Mystici. Comprobantur quae scripsi Hugonis verbis. In ejus operis *de Sacramentis* L. I. p. X. capite 2 legimus: "Non potest cogitari Deus quid est; etiam si credi potest, quia est, non qualis est, comprehendi." Haec postrema verba sunt longioris ratiocinationis, qua probare studet, Deum omnem nostram longe superare cogitationem. En, ejus doctrinae veluti partem nominalistam. Num igitur pergit dicendo: Ecclesiae auctoritati obtemperandum est vel simile quid? Minime. Nam praecedenti capite dixerat; "...Quia (homo) oculum rationis ex parte habet, animum similiter ex parte, videt et ea, quae in animo sunt. Quia vero oculum contemplationis non habet, Deum et quae in Deo sunt, videre non valet." Quid inde sequitur? Eum, qui "oculo contemplationis" praeditus sit, Deum et quae in Deo sunt videre posse, fidem tamen iis tantummodo "necessariam esse," qui hujus doni non participes sunt. Humana ratione prorsus sprete, divina quaedam subvenit ratio, quae a mysticis dicitur contemplatio.

Ne autem hisce in rebus diutius detineamur, praestat de uno tantum, eoque *Victorinorum* celeberrimo, videre. Richardi enim inprimis rationem habebimus. Accedit altera caussa, nobis suadens Hugonis missam facere doctrinam. Hugo nimirum minus quam Richardus verus Mysticus jure haberi potest. Richardus vero, Mysticismo addictus, de singulis quoque placitis ita phi-

losophatus est, ut de ejus methodo judicare liceat. Oculos igitur convertamus in ea, quae de Trinitate professus est.

Richardo auctore, Deus summa sit substantia necesse est; summa substantia est summa potestas, quae ut intellectualis sit, summa habenda est sapientia¹⁾. Dei autem tamquam summae sapientiae notio plane tollitur, nisi continuo Deum proponamus tamquam summam bonitatem, sive summam caritatem. Quae quum ita sint, opus est ut quis adsit, quem amare possit Deus. „Solutus” (sic pergit. III. 2) solus Deus summe bonus est, solus ergo Deus summe diligendus est; summam ergo dilectionem divina persona exhibere non posset personae, quae divinitate careret.” Animadvertamus autem inprimis sequentia, in quibus totius rei cardo vertitur, quaeque levi cum mutatione in optimam syllogismi formam redigi possint. „Plenitudo autem divinitatis non potest esse sine plenitudine bonitatis, bonitatis autem plenitudo non potuit esse sine caritatis plenitudine, nec caritatis plenitudo sine personarum pluralitate.”

Itaque Deus filium habeat, aeternum sibi similem necesse est. Vel sic quidem unus tamen esse dicitur Deus; unde sequitur Filium Deum non dici per se, nisi una cum Patre unius sit substantiae. „Nihil,” ita pergit Richardus (III, 11) „nihil rarius, nihil praeclarius quam ut ab eo, quem summe diligis et a quo summe diligens alium aeque diligere velis.” Quum duae tantummodo in divina substantia adessent personae, Deus magnitudinis quidem, non vero amoris plenitudinem communi-

1) *De trin.* I. 2 de quo libro Cf. Gieseler, Schröckh, Schmid, Tennemann, Meier, Ritter, Sécrétan, aliique.

casset. Nam „caritatis consummatio personarum Trinitatem requirit, sine qua omnino in plenitudinis suae integritatis subsistere nequit. . . . sicut nec integra caritas, sic nec vera trinitas abesse potest.” His, opinor, docemur, nos haud sine jure Mysticismum, qualem nunc in Richardo cognitum habemus, Realistam vocasse. Realium nimirum principio formali usus esse videtur Richardus. Quae enim logice probari possint, ontologice vera esse habentur. Quonam, quaeso, ex fonte haurire potuit *Victorinus* noster, nisi ex unica sua contemplatione mystica. Quae ibi reperiuntur, extra quoque valere contendit. Nam subinde notandum est, eum Trinitatem e Dei notione logice deduxisse, ecclesiae doctrinae nulla habita ratione, atque eum ad hanc notionem haud secus ac *Anselmus* pervenisse. Legamus quae ipse scripsit, bl. I, 11: „Illud autem certissimum est. . . . esse oporteat aliquid summum. Summum vero omnium dicimus, quo nihil est majus, nihil melius. *Absque* dubio autem melior est natura rationalis, quam natura irrationalis.” En, si quid video, veluti in nuce ipsum illud argumentum ontologicum *Anselmianum*. Quamadmodum enim hic probare studuit, summam perfectamque substantiam non cogitari posse, nisi revera adsit; Richardus oportere censet „ut aliqua rationalis substantia sit omnium summa.” Voce autem *rationalis* nihil aliud significare voluisse potest, quam substantiam revera existentem. Ita, si vel concedendum esset, Richardum non plane eadem sibi voluisse, ac *Anselmus*, eadem tamen eum, ac hic ratiocinatione usum esse, quis neget? Haec autem similitudo maximi ponderis mihi videtur. Ex dictis enim satis constare censeo, eadem methodo, nec tamen eodem

fonte usos esse mysticos, ac philosophos Realistas. His enim fonti intelligentia erat, ex quo, opere rationis, hauserunt; illis vero ex pectore, amando sive contemplando veritatem quaesiverunt. Quod vere inter utrosque occurrit discrimen verbis magis quam rebus constituisse videtur. Variæ enim hominis facultates non ita facile a se invicem divelluntur, ut ex iis una constanter negligi possit.

Quamobrem non audiendus videtur Haureau, Mysticismum contendens omnem philosophiam parum intellexisse. Mysticismus quodammodo dici potest veritatem possidere, ubi quaerit Scholasticismus, itaque, si etymologiam attendas, revera philosophia non dicendus est. Arte dialectica si non opus est ut notiones acquirat, notionibus jam ab initio inde gaudet, quas tamen deinceps explicat atque excolit. Deum exempli causa "summam caritatem" esse a Mystico sponte intelligitur; quae notio quodammodo complicata ita evolvitur, ut idem significet ac trinitas. Hanc vero notionem evolvere nequeunt, quod utrum concederent mystici necne, non quaerimus, nisi eo ipso Realium principio adhibendo. Arte igitur dialecticâ quamvis spretâ non carere possunt. Animadvertamus tantummodo qua ratione procedat Richardus. Deus, summa caritas, habeat, quem sibi condignum amet necesse est. Unde hoc sequitur? Ex caritatis notione mere logica. Revera enim nescimus utrum Deus semet ipsum possit amare necne; hujusque caritatis naturae plane ignari sumus, quatenus nobis eam non patefecit Deus. Novimus sane: *ποῦτως γὰρ ἠγάπησεν ὁ θεὸς τὸν κόσμον, ὥστε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ ἔδωκεν... sqq.*" nam illum Filium cognoscimus, nec beneficiorum insciï

sumus quae nobis per eum Deus largitus est; quam ob causam dicimus: Deus nobis dedit filium suum, *ergo* Deum nos amavisse nobis persuasum est. Negamus vero contendi posse Deum summam esse caritatem, itaque filium suum nobis largiturum esse. Quae quum vera sint, nec ullo quidem jure sequitur caritatis plenitudinem sine personarum pluralitate” non cogitari posse. Addidit Richardus: „persona igitur divina summam caritatem habere non potest erga personam, quae summa dilectione digna non fuit 1).” Unde hoc sciat Richardus frustra quaeritur. Logice tamen magis idoneum videtur, summaeque caritati convenientius, ut divina persona alteram amet personam divinam. Ex rebus in facto positus, quid summa caritate dignum sit petendum est; earum enim quum rationem habeamus, docemur Deum summo nos peccatores amplexum esse amore, ita ut vix aut ne vix quidem dicere possimus, utrum prae nobis Filium suum dilexerit Deus. Quid multa? „*Debet* esse, *ergo* est,” Realibus aequae ac Mysticis communis est sententia, cui nisi ab initio adverseris, omnia, quae ex ea profluunt, patiaris necesse est. Ut a Realium universalibus abhorremus, ita et illam rejicimus contemplationem, quae, ut Richardi verbis utar, sit „libera mentis perspicacia in sapientiae spectacula cum admiratione suspensa 2).” Contemplationem despiciamus, quae „libero volatu quocumque eam fert impetus mira agilitate circumferatur 3);” quae perseveret „sine labore cum

1) Lib. III. c. 2.

2) Richardus, *Benjamin de Contemple*, I. I. c. 4.

3) I. c. 3.

fructu;” eamque pro nihilo putamus, quae „sub uno visionis radio ad innumera se (diffundat) 1).” Adversus hanc enim contemplationem Conceptualistarum vindicamus principium, a singulis initium faciendum esse, unde deinceps ad universalia procedere possimus. Accurata de singulis nobis opus est disquisitione, quum quid singularum rerum universitate contineatur, funditus cognoscere velimus. Experientia non tantum optima, sed una quoque nobis aderit magistra. Neque ex ulla qualibet notione unquam sequentur, nisi quae antea, experientia edocti, in eam contulerimus.

Haec quoque contemplatio non multum attulit ad philosophiae universe auctoritatem magnopere augendam. Quo factum est, ut ante per Arabes renata Aristotelis studia, omnis fere philosophia pro nihilo putaretur. Ut per Conceptualismum, qui in Theologia *rationalismus* evasit *vulgaris*, Realismus in Mysticismum abiit, per ipsum Mysticismum, simulac *contemplatio* illa inanis atque vana visa fuisset, Nominalismus rursus invaluit. Attendas paullisper Mysticismum rationi humanae abrogasse auctoritatem. De his vero postea videbimus; nunc ad illa redeamus quae hujus aetatis commemoratione digna sint.

Inter Hugonis discipulos, unum tantummodo Godefredum perstringamus, qui nullo nomine philosophus haberi potest, licet, Viro Cl. Haureau auctore, in manuscriptis *Victorinis* Godefredi reperiatur poema cui titulus est. „Fons philosophiae.” Philosophos multo magis contumeliose tractasse videtur ut ex libello apparet,

1) Ibid.

qui, eodem viro docto monente, optime cognoscitur ex opere: *Hist. Univ.*, Paris., saec. IV, fol. 629. Conferatur quoque Viri Cl. Tennemann historia philosophiae. Neque alius Hugonis discipulus, Gualtherus a sancto Victore meliore animo philosophos ferebat. Librum edidit cujus titulum ita refert Gieseler: „Contra manifestas et damnatas etiam in conciliis haereses, quas Sophistae Abaelardus, Lombardus, Petrus Pictavianus et Gilbertus Porretanus libris sententiarum suarum acuunt, limant, roborant,” cujus libri tamen brevior titulus solet esse, „contra quatuor labyrinthos Galliae”; nam hoc cognomine viros, quorum nomina in longiori titulo laudata sunt, commemorat. Quem librum quum silentio praetereamus, non animadvertere tamen non possumus, pro sententia, quam supra de Gilberto protulimus, omnino pugnare, quod Gilbertus aequae Abaelardus, caeterique „uno spiritu Aristotelico afflatus” esse dicatur. Omnes enim simul improbantur, quod „ineffabilia Trinitatis et incarnationis scholastica levitate tractarent.” Nec multa dicemus de Roberto Pulleno, cujus nomen undecies mutari potest; ab his exempli causa, Pullanus, ab illis Pulleinus, ab aliis aliter vocatur. Quem tamen virum nec Godefredo, nec Gualthero aequiparare vellem. Bernardus, Joh. Sarisb. laudes ejus uterque extollunt. *Parisiis* theologiam docuit. *Osoniae* universitatem instauravit; purpuratu pontificis Romani investitus, Romae diem obiit, anno 1153 vel 1154. Inclaruit ejus opus quod dicitur: „Sententiarum libri octo.” Quamvis diserte dicat Robertus: „Ratio evincit universalia non esse,” Nominalistis tamen eum nomen dedisse non liquet. Constat

autem eum dialecticos aequae ac artem dialecticam prosus despexisse; quod huic imprimis causae tribuendum videtur, quod hanc artem exercere non potuerit. Omnia enim miscet, conturbat omnia.

Longe dignior vero qui a nobis commemoretur, est Magister ille sententiarum, Petrus *Lombardus*, cujus auctoritas apud plurimos tam magna fuit, cujus nomen tam inclaruit, ut, saeculo duodevicesimo *Franco-Gallorum* exercitus, domum adspiciens in qua natus erat *Lombardus*, ex parietibus nonnullas religiose secum reportaverit lapides. Cujus narrationis mihi auctor est doctissimus *Haureau*. Libri sententiarum, ut notum est, eorum est collectio, quae Patribus Ecclesiae de singulis in Theologia Christiana visa sunt. Quamvis non ipse Patrum singulatim referat nomina, vetera quum inspicias manuscripta, nomina in margine diserte commemorantur. Ferunt centum et sexaginta in hujus librum confectos esse commentarios a Theologis *Brittannicis*; neque alio Theologiae compendio per tria fere saecula in Hispania et Italia viri docti usi esse videntur. Quid autem hoc opere conscribendo sibi proposuerit, verba explicent in prologo obvia: „fidem nostram adversus errores carnalium atque animalium hominum munire, vel potius minutam ostendere.” Addit deinde admodum facete: „Quisquis ergo audit hoc vel legit, ubi pariter certus est, pergat mecum, ubi pariter haesitat, quaerat mecum, ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me, ubi meum, revocet me.” Videtur igitur omnino *Lombardi* liber Ecclesiae auctoritatem religiose confirmare, atque fidelium munire fidem. Idcirco universe aridae hujus Virorum librorumque commemorationis me non taedet, quippe quae optime

illustret, illa quae dixi de philosophia nihil prorsus valente, in temporis nimirum intervallo, quod Mysticismum intercedit et *Arabum* philosophiam innotescentem. Sic quoque Petri liber multis nominibus haud parum contulit, quo deinceps fides a ratione humana magis magisque sejungeretur.

Inter eos qui hanc *Lombardi* rationem secuti, ulterius etiam progredi studuerunt, discipulus inprimis in censum venit: Petrus *Pictaviensis*. Quum vituperatus esset Lombardus, quod numquam suam profiteretur sententiam, cancellarius noster artem dialecticam edoctior, Patrum non tantum retulit verba, sed argumenta quoque, sive ad refutanda, sive ad probanda, adjecit. Triplici, e. c., ratione Deum existere probare conatus est. Quum autem argumentationem ejus animadvertam, nullus dubito, quin e Realistarum principio ratiocinatus sit. Petro quoque auctore, ea quae esse debeant, revera sunt. Contendit enim omnia, sive substantias, sive accidentia, ex uno aliquo orta esse, quod per se atque a se sit necesse est. Hoc unum Deum vocat, de cujus causa non quaeritur. Sin autem Deus causam haberet, in infinitum progrediendum esset; ergo in longa causarum serie, alicubi, i. e. in Deo subsistatur. Haec prima causa neque ex pluribus partibus constare potest, nec plurium partium una est. Quodsi enim ex pluribus constaret partibus, non a se dici posset; multo minus vero quum ipsa pars esset aliqua. Unde sequitur individuum esse Deum. Tertio loco, cum Hugone a *Sancto Victore*, animum sui initii conscium esse putat; optime enim novit non semper se exstitisse. Undenam igitur originem duceret, nisi a Deo. Sequitur Deus, animi nostri origo

existat, necesse esse. Quum autem omnia ex uno Deo, necessario quidem optime explicentur, de pluribus causis quaeramus non opus est. — Sufficit hoc unum Petri argumentandi rationis periculum fecisse. Taedet enim omnia eademque sexcenties repetere. Varia, quae a Realistis pro Dei existentia afferuntur argumenta, magis minusve ex Anselmi argumentatione petita sunt, aut saltem iisdem nituntur principiis, licet non omnia eandem habeant vim atque efficacitatem.

Gualteri liber, cujus mentionem jam supra fecimus, contra hunc Petrum quoque jure disputasse videtur. Philosophiae nimirum contemplativae numquam satis in memoriam revocari potest, artem dialecticam formalis tantummodo esse pretii. Ut egregie scripsit Boulay: „facile est, veritatem connexionum etiam in scholis illis, quae praeter ecclesiam sunt discere... qua propter aliud est, nosse regulas connexionum, aliud sententiarum veritatem. *In illis discitur, quid consequens, quid non consequens, quid repugnans*”¹⁾.

Petri Lombardi discipulus alter, Robertus *Melodinesis* utrum Realista fuerit, an Nominalista, dubitari potest²⁾. Nos quidem eum potius Nominalistam habemus, quippe qui Aristotelis imprimis, ad rem suam confirmandam, usus sit auctoritate, atque theologiam inter et philosophiam ita distinxit, ut „magna discretione opus (sit) in locutionum judicio faciundo.”

1) T. II. 645.

2) Ingeniose scripsit Haureau: „Après avoir offert aux Réalistes tous les gages d'une adhésion sans réserves, il revient sur lui-même, dénonce les conséquences hétérodoxes de sa propre doctrine et les désavoue très-énergiquement.”

Uterque vero Ecclesiae odio erant; quae Mysticorum tantummodo poeticae favens contemplationi, omni qualicumque philosophiae magis magisque invidere solebat.

Ut hanc aetatem accurate depingamus, philosophiam in dies magis despicientem, *Cornificiani* quoque memorandi sunt; de quibus conf. Joh. *Sarisb.* 1). Incertum esse videtur, unde nominis origo ducenda sit. Optime fortasse eo explicatur, quod cornua disputationis facerent. Omnem enim philosophiam ludibrio habebant; ita ut vix aut ne vix quidem dici possit, quam ridiculae, de quibus agere solebant, essent quaestiones. „Caeterum,” addit Joh. *Sarisb.* „hujus sectae, post damnum temporis, rerumque jacturam et spes deceptas et praepositi sui solatio destitutas, multiplex usus emersit.”

Antequam vero huic periodo finem ponamus, duo viri celeberrimi, licet magnopere inter se differentis animi, nostra attentione dignissimi sunt. Quorum alter *Alanus ab Insulis* est, alter *Johannes Sarisburiensis*, cujus de permultis theologis scholasticis judicium saepe audivimus. — *Alanus* enim non tantum pro vero Realista, sed etiam pro integro scholastico haberi potest. Talis enim erat, qui sibi persuasum habuerit, nec ullum quidem philosophiam inter et theologiam esse discrimen; imo omnia, quae fide amplexus esset, mathematica ratione probare, atque accurate intelligere studuit. Quae autem persuasio quo hac aetate rarior erat, eo magis miramur *Alanum*, scepticis mysticisque studiis omni fere sublata, et a theologia divulsa philosophia, incepisse conatum atque fecisse, ut revera inter utram-

1) *Metalog.* lib. I. c. II, III.

que componeret pacem. Neque enim tantummodo systema nobis praebuilt absolutum; sed, si libros ejus evolvas, in theologia eum eadem fere ratione usum, quam in philosophia adhibuit Spinoza, sponte concedes. — Quantopere autem Realium doctrinae addictus fuerit, ex sequentibus patebit. Ideas enim sive formas, per se existentes, nobis repraesentat Alanus, non tantum ante res creatas, sed quoque extra earum causam, id est extra ipsam intelligentiam divinam. Itaque Deus nobis proponitur, quum in eo est, ut animum quendam procreaturus sit, *Noys* ad se vocans, cui mandare debeat, formam quaerere, quae animo jamjam creando optime conveniat. Expectat Deus *Noys*, forma aliqua inventa, redeuntem. Quae forma Deo deinceps exemplari est, ad quod novum informat animum.

Audiamus ipsum: „Quae *Noys* plures recolens ideas, — singulas rerum species monetans, — Rerum togas formas, Chlamydemque formae — Pollice formas!”.... Quae verba Alani ad Naturam occurrunt in poemate, memoriâ admodum digno, cui titulus est: „de Planctu Naturae.” — Studebat enim de rebus philosophis poetice agere; ac ingenium poeticum fuisse videtur Alanus; quod, si cum mathematica illa suae doctrinae exponendae ratione jungis, patebit nos haud immerito Spinosam et Alanum inter se contulisse. Quod et urgere possum, iis ipsis laudandis, quae ad ejus doctrinam cognoscendam commemorabilia sunt. „Deus,” inquit, „imperando hominem creat, angelus operando procreat; homo obtemperando se recreat. Deus imperat autoritatis magisterio; angelus operatur actionis ministerio; homo obtemperat regenerationis mysterio.” In quibus verbis Viro Cl. Hau-

reau concedo, omnem *Alexandrinorum* de emanatione latere doctrinam.

Attamen, quamvis Alanus nullam adhibuisset philosophiam, nisi ut Ecclesiae confirmaret doctrinam, dictu tamen difficile est, quam magnum eum inter, et eos qui antea eadem instituerant conamina, discrimen obtineat. Perit sancta illa ut ita dicam simplicitas, qua primi gavisissimi essent Scholastici. Tunc quidem religiose studebant, ut per fidem ad intellectum pervenirent. Nunc vero, fides debilitata, ope philosophiae instauranda esse videtur. Tunc ex plenitudine fidei, quibus sibi opus esset, haurire potuit philosophia. Nunc vero ad pauperem fidem restituendam, pauperior etiam philosophia advocatur. Anselmus et Alanus *ab Insubis* tristem nobis repraesentant theologiae cursum. Fuit olim virgo, specie ac juventute venusta, nunc anus videtur imbecilla, baculo innixa ¹⁾.

Neque aliter fieri potuit. Ubi cumque scholasticum vigeat studium, cum Nominalistae existant, tum Realistae necesse est. Realistae vero, initio saltem, Ecclesiae prodesse videntur atque plane negligere posse, quae a Nominalistis disputari solent. Interventit Conceptualismus, quo Realismus ex animi altitudine descendit nec idearum tantummodo rationem habet; quo simul autem Nominalismus hostilem, ut ita dicam, faciem reponit; ita ut, qui accerrime fuerunt adversarii, etiam sine

1) Vera enim sunt quae docte monet Ritter (Th. I. S. 605):
"..... wird uns die Lehre des Alanus nur als ein Zeichen erscheinen, dass alle die Bemühungen des 11. und 12. Jahrh. um die Begründung der Theologie und um die Erörterung ihrer Verhältnisse zu den übrigen Wissenschaften doch zu keinen Ergebnissen geführt hatten, welches der wissenschaftliche Bewusstseyn dieser Zeit hatte beruhigen können."

foedere pacto, se invicem patiantur. Verum nulla est vera concordia, conciliatio nulla; ab utraque tantummodo parte indutias inierunt. Quae autem indutiae alterutri noxiae videntur. Nunc monstrum illud mediæ aevi, quod depinximus, mysticismus exstitit, quo rationis cum Nominalismo recusatur auctoritas, quum vel sic quidem ratiocinationes logicae, licet formâ indutae longe aliâ; leges praescribere soleant. — Mystica ratione a theologia avel- litur philosophia. Accusatur intelligentia humana, tamquam ad sublimiora cognoscenda parum valens; at vero alius ge- neris intelligentiâ, contemplatione scilicet, utitur ut re di- vineae comprehendantur. Quod autem sibi proposuit aetas, ei non contigit. Metuit philosophiam theologia, post- quam Conceptualismus, sive illius temporis rationalismus, iisdem utens verbis, *alia tamen subjecerat placita*. Magna illa inflammatio animi mystica damnum, per aliquod tempus, compensare potuit; post illam vero paullisper extinctam, theologiae, ut supra diximus, fuleris opus erat, quae ei suppetebat cum Petrus Lombardus, Pa- trum Ecclesiae auctoritate nitens, tum etiam Alanus ab Insulis mathematica quadam usus ratiocinatione. Prisca igitur sententia: „per fidem ad intellectum,” nunc sic mutari potest: „ope philosophiae, quantum fieri possit, servetur fides.” Quam magni momenti jure habeatur, quod, inter utramque sententiam, obtinet discrimen, quis non agnoscit? Licet igitur Realismus victor superesset, non istiusmodi erat pugna, quam haec agebat aetas, ut acerrimum illud *priscum* certamen nobis repraesenta- retur. Quod autem, hac aetate, Realismus vicisse dici possit, non ipsi vi atque ἐνεργείᾳ tribuendum posse vi- detur hujus philosophiae, quippe quae sua sibi jura vin-

dicasset; sed multo magis caussa latet in eo, quod Realismus imbecilli fidei auxilio esse potuisset.

Accedit aliud argumentum, quo hujus pugnae vigorem hac aetate fractum esse probemus. — Quum enim in historiâ, qualicumque aetate, vir aliquis surgat, qui aequales aut anteriores philosophos critico submittat examini, talis aetas, qua, quem descripsimus, vir criticus ortus est, sui ipsius conscientiam habere, sive sui ipsius conscientiam esse dici potest. Nec tali aetate fieri potest, ut acerrima quaedam agatur pugna; quae ut strenue geratur, opus est, uterque adversarius fortiter sibi persuasum habeat, se solum omni gaudere veritate.

Johannes *Sarisburiensis* talis nobis exstat philosophus criticus, qui optime sui temporis vitia intuitus esse videatur, nec non accurate varios philosophos, pro variis, quas inierunt, partibus, indicasse. Johannes ille, qui omnium unus veram philosophiam i. e. veritatis studium, certitudini dogmaticae praetulit ¹⁾, diem obiit, anno 1182; de quo igitur, ultimo loco, optime agere possumus; saeculo nimirum tredecimo nova ineunte periodo.

Inter viros doctos lis adhuc usque sub iudice esse videtur, utrum Johannes noster in Realium, an in Nominalium numerum recensendus sit. Ad quam litem optime dirimendam, multum tribuisse videtur Vir. Cl. Hauraeau Pastoretus enim ²⁾, eo auctore, Johannem Realistam fuisse putat; contra quem disputare solent Tennemann et Cousin, Viri celeberrimi, eum Nominali-

1) *Polycriticus*, lib. VII, c. 1—3.

2) *Hist. litt. t. XI. 4, p. 116.*

stis nomen dedisse, statuentes. Neque autem Realista, nec Nominalista dicendus est. Cum Haureau enim quaerimus, an fortasse bonus Realista scripturus fuisset, carum sibi esse Abaelardum. An putas Nominalistam dicturum: „Sol e coelo visus est cecidisse, qua die philosophorum princeps Plato rebus humanis excessit.” Admodum ingeniose haec attulisse videtur scriptor ille doctissimus, quippe quae probent, quod ex aliis quoque conficere licet, eum scepticorum illustrium unum fuisse, noluisse vero scepticum vulgarem haberi. Quibus verbis significare volui, Johannem *Sarisburiensem* talem fuisse criticum, qui, ut eum ipsum confitentem habemus, (vide locum supra laudatum), cum Academicis de nonnullis dubitare mallet, quam cum dogmaticis affirmare multa, quorum cognitio accurata mortalibus nonnumquam interdicta sit. Duo praebuit nobis opera, quorum unum dicitur *Polycraticus*. s. *de nugis curialium et vestigiis Philosophorum lib. VIII*; quorum alterum hunc titulum refert: *Metalogicus lib. IV*¹⁾. Optime enim multas, quas egerunt Scholastici, inanes vidit esse quaestiones, neque amabat „perniciosa simulatione scientiae quod ignotum vel absconditum est, temere definire;” „sunt” — ut ejusdem libri pergit capite secundo — „dubitabilia sapienti, quae nec fidei, nec sensus, aut rationis manifestae persuadet auctoritas Talia quidem sunt, quae quaeruntur de providentia, de substantia, de quantitate casu et libero arbitrio de eodem et diverso de

1) Cum Dégérando facimus: „si l'on veut se faire une seule idée de la philosophie en Europe pendant le 12 siècle, on n'a qu'à lire Jean de Sarisbury.”

dividuo et individuo ... de statu universalium de veritate et primis rerum initiis, in quibus humanum ingenium deficit." Nec tamen omnem sprevit philosophiam, quum, ut notum est, artem recte vivendi artium artem esse contenderit; atque voce Philosophiae sapientiae studium significari voluerit. Attamen ars, quae dicitur dialectica, eum et doctum habuit adversarium, et criticum acutissimum, ita ut *in fine saeculi duodecimi prorsus spreta abjectaque* esse videatur. Ex dictis conficimus necessarium fuisse ut, in viro, nec Nominalistis, nec Realistis, neque ulli philosophiae scholae addicto, haec desierit periodus.

Novum incipiet saeculum, nova aetas. Instant nova; nova fient, cum proximis arctissime cohaerentia, ad novum tamen, atque ignotum quandam finem perductura.

Hujus historiae partem claudimus priorem.

PERIODUS ALTERA.

A JOHANNE SARISB. AD GULIELMUM OCCAMUM.

CAPUT IV.

A JOHANNE USQUE AD DUNS SCOTUM.

SECTIO I.

De philosophia Arabum innotescente.

Quaerentibus quatenus hac aetate Aristotelis doctrina Scholasticis cognita fuerit, respondet Rigordus, Philippi Augusti vitam enarrans, cujus verba, a Viro Cl. Tenneman laudata, sic sese habent: „In diebus illis (1209) legebantur Parisiis libelli quidam de Aristotele, ut dicebantur, compositi, qui docebant Metaphysicam, delati de novo a *Constantinopoli*, et e Graeco in Latinum translati, qui..... jussi sunt omnes comburi.” Quod testimonium aliis quoque comprobatur, eo fortasse explicatur, quod saeculo undecimo *Constantinopoli* et phi-

losophia, imprimis Aristotelica, et ars dialectica colebatur; quum expeditionum cruciatarum rationem habeamus, quibus facile fieri potuit, ut nonnulli viri docti doctrinam, quam in Oriente reperiabant, non prorsus neglexerint. Quidquid autem de hoc fonte, quo Aristotelis scripta innotuerint, statuendum sit, constat Scholasticis saeculi duodecimi *Organon* tantummodo notum fuisse, idque quidem secundum Boethii versionem latinam, ita ut prima periodo uti debuissent Marnani *Cappellae*, Bedae, Isidori compilationibus nec non *Sancti*, Augustini categoriis admodum apocryphis. Longe melior autem nunc instat rerum conditio; non *Organon* tantum, sed omnis Aristotelis doctrina jamjam innotescet, atque simul medium aevum omnes, qualescunque excoluerint antiqui, disciplinas cognititas habebit. *Arabes* nimirum veluti parati sunt ad illius doctoris philosophiam tradendam, cujus nomen magis quam doctrina tam magna gavisata est auctoritate. Animadvertendum est hoc commodo temporis puncto Aristotelis cognitionem auctam esse. Meminiscamus enim, quae supra monuimus, et sine dubio omnes magni faciemus, quae ab *Arabibus* ad Scholasticos pervenit doctrina. Quod vero, quomodo factum sit nunc breviter et quantum proposito nostro prodesse possit, enarremus ¹⁾.

1) Ne autem ad singula auctores nostros commemorare oporteat, in antecessum dicemus, quos imprimis, ut hanc *Arabum* philosophiam cognosceremus, adire nobis licuit. *Averroës et l'averroïsme*, *Essay historique par Ernest Rénan*; *de philosophia peripatetica apud Syros*, commentationem historicam scripsit E. Rénan; *Essay sur les Ecoles philosophiques chez les Arabes et notamment sur la doctrine d'Algazali par Aug. Schmölders*. Haureau, *de la Philosophie Scholastique*, Tome I, Tennemann, Ritter, II. II.

Origo Aristotelicae philosophiae qualis ab *Arabibus*, ad scholasticos delata sit, altius repetenda videtur. *Arabum* enim magistri in philosophia Graeca Syri habentur, qui, licet nullam curam impenderint litteris profanis, „antequam *Nestorianorum* opinionibus imbuerentur, totam tamen, postquam doctrina Nestorii invaluit in schola *edessena*, disciplinam hellenicam¹⁾ ἐγκύκλιον παιδείας receperant. Aristoteles vero simul cum *Nestoriana* doctrina apud *Edessenos* civitate donatus est. Etenim, quum omnes Ecclesiae primaevae haeretici, tum prae caeteris *Nestoriani* Aristoteli impensissime dediti erant.” Haeretici fere omnes hujus aetatis a fide orthodoxa seducebantur, quia logicam Aristotelis in dogmatibus Christi enucleandis imprudenter adhibebant; quod et recte exposuerunt Launoy²⁾ et Joh. Fr. Buddeus³⁾; „nec aliunde originem habuit furor ille disputandi de rebus theologicis, qui ecclesiam Graecam IV et V saeculi pervasit, quam ex usu logicae peripateticae.” Hinc quoque explicandum tot sectas ortas esse, quae *Nestoriani*, *Monophysitae*, *Monotheletae*, *Agnoetae*, *Tritheistae* dicebantur, peripateticasque distinctiones omnes retulisse videntur. *Aristotelismus* igitur cum nova illa de theologia agendi ratione, ita arctissime conjunctus erat, ut Ibas utriusque conditor dici possit, qui inter alios *Commentatoris* i. e. Theodori *Mopsvesteni* atque Aristotelis scripta transtulit; nam Cumam et Probum, Ebedjesu testante, adjutores habuit, quorum

1) Rénan p. 11.

2) De varia Arist. fortuna cap. II.

3) De haeresibus ex philosophia Aristotelica ortis inter observat. *Halenses* (anni 1700) p. 176 sq.

alter, Probus nimirum, sive, per transpositionem litterarum, Phaebrius dictus, expositionem praebuit in librum *περὶ Ἑρμηνείας*, quinque sectionibus absolutam, in qua Aristotelis doctrinam magis quam verba referre studuit. — Hujus labor vero non fuit vulgatissimus; diserte enim memoratur Sergius *Renainensis*, qui (Saeculo VI) *primus* Aristotelem *Syriacum* fecerit. „At nihilo secius certum est, *Nestorianos* scholae *Edessenae* primos omnium Aristoteli apud *Syros* favorem conciliasse, atque *Jacobitas* uno fere integro saeculo in his studiis praecessisse 1).” Nec *Syrorum* philosophia in alio praeter Aristotelem substituisse videtur, quamvis ex Aristotelis libris unum *Organon* pertractaverint, ejusque libri primam quidem partem. In isagoge vero *Categoriis*, libro *περὶ Ἑρμηνείας* illustrandis, vehementer sibi placuerunt. Quod, sicut alia quae egregie monet doctissimus *Rénan* 2) indicat „quam similis fuerit fortuna Aristotelis apud *Syros* et apud *Latinos* mediae aetatis.” *Syris* enim Aristoteles logicus est; cetera ipsius opera plane ignota sunt. Unde fit ut philosophia *Syrorum* nobis similitudinem referat illius *Scholasticismi* prioris aetatis, *Alcuini* aut *Abaelardi*, antequam Aristoteles totus e *Graecis Arabicisque* fontibus nostris hominibus innotuisset. Contra mox ostendemus philosophiam *Barbraei* aliorumque *Syrorum* serioris aetatis, qui *Arabum* studia imitantur, imaginem nobis exhibere posterioris illius scholasticae *Albertinae*, *Thomasticae*, qua totus Aristoteles manibus teritur. Aristotelis opera cuncta

1) *Rénan*, p. 15.

2) p. 39—43.

Orientalibus non innotuerunt, nisi ope versionum, quae Saeculo IX factae sunt, ut *Occidentalibus* rursus per versiones, saeculo XII confectas. Idque etiam animadvertendum, *Syros* plerumque libris ipsis Aristotelis anteposuisse tractatus ad ipsius mentem compositos, simillimosque dialecticis Boëthii, Cassiodori, et Categoriis *pseudo-Augustinianis*, quae tanto favore apud *Latinos* ad XII usque saeculum celebrabantur. Imo, hos tractatus nomine Aristotelis decorare non verebantur, ut Scholastici saepenumero fecerunt, quando paraphrases ex *Arabico* translatae, quae Aristotelis sententiam tantum referebant, primum vulgatae sunt ¹⁾).

Licet *Ommeyjadae*, *Damasci* sede capta, *Syros* imitari coepissent, ipsa philosophia ab *Arabibus* non exulta est ante *Abbasidas* rerum potentes, (anno Chr. 750). Animadvertendum autem est cum Viro Cl. Rénan, philosophiam, quae *Arabica* dicitur, Arabici nihil in se habere. „*Graeci* sunt omnes, quibus utitur, auctores, *Persae* sunt, qui haec studia foveant, *Syri* omnes interpretes.” *Syri* enim et *Christiani* fuerunt, qui scriptores *Graecos* Syriace et *Arabice* verterunt, primo quidem Syriace, dein ex Syriaco *Arabice*. Quod innumeris atque certis testimoniis constare asserit Rénan. Aristoteles primum sub *Almamo* (813—833) *Arabicus* factus est. Postquam enim *Galienus*, versione *Arabica*, innotuerat, cum *Platonem* tum *Aristotelem* saepius laudans, cupiditate ardebant *Arabes* utriusque auctoris cognoscendi. Quin, simulac e *Syriaco* *Aristotelis* scripta nonnulla *Arabice* conversi essent, nihil amplius viri docti *Muselmanni* legere voluerunt,

1) p. 44.

praeter Aristotelis libros, eosque omnes. Primae, ut jam verbo diximus, versiones repetendae sunt a tempore Chalifae Al-Mamuni, qui vertendorum librorum curam *Christianis* commisisse videtur. Somnio enim permotus est Al-Mamunus ad ipsius philosophi libros quaerendos, quos primus Arabice vertisse dicitur Johannes Ibn-al-Batrik. Tempore autem Al-Motawackelii praecipuus floruit (anno 876) versionum auctor Honainus Ibn Ishak, cui accedunt filius et nepos. Vix ullum superest opus Aristotelis, quod non unus ex his triumviris verterit. Verterunt et Themistum, Porphyrum, Alexandrum, Aphrodisaeum, Galenium, Ammonium; quae versiones aliis longe praeferebantur¹⁾. Quamvis diligentia *Honainidarum* Aristoteles totus ac peripatetici fere omnes scriptores *Syriaci* et *Arabici* facti essent, saeculo decimo idem labor repetendus fuit. Nec mirum. Codicum paucitas magna fuit. Novi laboris autem denuo *Syri* et *Christiani* duces exstiterunt, quorum praecipui Abu Baschar Mata, Jahjaa ben Adi *Tagritensis* (934—974). Commentariis quoque translatis, *Syriacae* perierunt versiones; divulgabantur *Arabicae*, quibus usi sunt Alfarabius, Avicenna, Averrhoës, ceterique philosophi *Arabum*. Inter veteres interpretes celeberrimosque jure memoratur Abou-Jousouf-Jaacoub-ibn-Ishâk-al-Kendi, qui saeculo nono circiter floruit. Ducentos dicitur confecisse libros de tot fere argumentis philosophis; quorum imprimis in censum veniunt commentarii in Aristotelem bene

1) Cf. Brücker, *Hist. Crit. Phil.*, t. III. Jourdain, *Recherches critiques etc.* p. 78 sqq. *Diction. des sciences philos.* in voce *Arabes*. Articulus est Viri Cl. Munck.

multi, qui omnino aetatem tulerunt. Antequam autem pergamus, juvat Buhlii recitare verba, quippe quae et in posterum nobis commodo futura sint: „dicuntur fere omnes (*Arabes*) qui in philosophiae historia aliquam laudem et famam consecuti sunt, summo ardore eruendo vero sensu verborum Aristotelis mentem defatigasse:

..... saepe numero eo annexi sunt ut *Corani* doctrinam ex philosophia Aristotelica dilucidare, aut illam cum hac conciliare studerent; quae quidem opera non solum innumeris rixis inter eos occasionem praebuit sed etiam philosophiam misere corripit et pessumdedit” 1).

Verum ad Al-Kendi redeamus. Unus est ex illis, qui apud *Arabes* proprie *philosophi* dicebantur. Aristotelis enim doctrinam maxime inter *Arabes* divulgaverunt, eorumque magnopere adcenderunt studium hujus philosophiae cognoscendae. Innumeri fere sunt qui hoc dicuntur nomine. Memorantur inprimis Mohammed ben Masoûd, Abou Tamam de Nisabour, Ibn Sa'hl de Balch, Talh'ah Alnasaf, Isfraîni, Alâmiri, alii. Hi omnes floruerunt ante Alfârâbî et Ibn Sinâ, qui, *Arabibus* assentientibus omnibus, hujus *philosophorum* scholae, maximi duces habentur; quorum auxilio philosophiam illam induit formam, in artem redactam, quam deinde deposuit numquam, quemadmodum quoque patet e sectatoribus

1) Buhlius, *Comm. Societ. Goetting.* t. XI. p. 232, quibus plane conveniunt quae a Viro Cl. Hauréau memorantur: „la doctrine des philosophes, dit l'historien Makrizi, causa à la Religion, parmi les musulmans, des maux plus funestes qu'on ne peut le dire. La philosophie ne servit qu'à augmenter les erreurs des hérétiques et à ajouter à leur impiété un surcroît d'impénétrabilité” — De Saey, *Exposé de la religion des Druses, introd.* p. 22.

admodum claris, Avempace, Averrhoës vulgo dictis, de quibus infra videbimus. Juvat enim nonnulla praemonere de secta, quae dicitur *Motakhallim*, quippe quae raram nimirum cum ipsis Scholasticis similitudinem habuisse videatur; quin, Scholastici inter theologos *Arabes* dici possunt. Quum ipsi *philosophi* peripateticam coluerunt doctrinam, nec Muhammedis religionis ullam rationem habuerunt, *Motakhallim* contra id inprimis spectabant, ut ad *Coranum* Aristotelis informarent placita, eaque mutarent ad sententias, quas de rebus divinis ipsi fovebant. Quemadmodum igitur nos vocem usurpamus: philosophiam *Christianam*, sectam *Motakhallim* philosophiam docuisse *Musalamianam*, quam ob rem et nostra maximopere interesse, sponte intelligitur. Ut enim *Musalamii* erant orthodoxi, nihil sibi voluerunt, nisi veram religionem fortissimis fulcire argumentis, ejusque principia illustrare, eo consilio ut heterodoxi refellerentur philosophi. *Vides eos idem ac Scholasticos sibi proposuisse consilium, idemque spectasse.* Discrimen tamen inter utrosque adesse confitemur. Nam Scholastici Ecclesiae quidem doctrinam accipiebant constitutam, in quas vero philosophiae partes abire vellent, liberi erant. Non ita *Motakhallim*. Et religionis doctrina et philosophiae constituta, stabilitaque erat. A neutraque discedere voluerunt; religionis nimirum doctrina a Muhammede, philosophia ab Aristotele ad eos pervenerat; utramque conciliare studebant, quam ob rem *Aristotelismum* Muhammedis religioni adaptare conati sunt ¹⁾. Animad-

1) Quod egregie expressit Schmoelders l. l. 134: „ils mohammedanisèrent le système d'Aristote.”

vertendum est vel eorum nomen hanc, quam significavimus, similitudinem indicare. Khalâm enim notionem refert *orationis*. Deinde significare potest orationem divinam, id quod Deus loquitur, nobis patefecit, sive, aliis verbis, *placitum*. Qui igitur *Motakhallim* dicuntur, homines sunt in verbis divinis, in placitis *Korani* versantes, viri dogmatici.

Ut eorum philosophiam melius cognoscamus, nonnulla afferre mihi liceat ex opere *inprimis* celeberrimi illius dogmatici Fachr Eldin Mohammed ben Omar Alrazi, cui titulus est Almohaççel¹⁾.

Dogmaticis igitur auctoribus omnis dogmatum scientia in tres partes dividitur; tribus enim utimur fontibus; sensu, intellectu, patefactione. Patefactio autem quamquam fons omnium certissimus, nulli commodo nobis esse potest, nisi antea Deum ex operibus cognoscamus, nec subinde veritas patefacta omnia amplectitur, ad quae tendit ingenium humanum. Sensibus materiem tantummodo percipimus, legibus, quibus regnetur, prorsus ignotis. In intellectu judicia quaedam notionesque reperiuntur, quas non hausimus ex rebus in facto positis. Nec tamen ea omnem nos docent scientiam. Errant igitur qui sensibus nos semper decipi velint. Errant qui tantum sensibus, omni rejecto auxilio, ad veritatem perveniri posse dicant. Quemadmodum enim sensibus singula percipimus, ad universalialia non nisi intellectus ope progredimur. Methodo deinde opus est, quae, quae percepimus, recte tractemus. Hanc nobis suppeditat ars logica, quae in definitionis demonstrationisque legibus regulisque constituendis versatur.

1) Cf. Schmoelders: l. l. 140—190.

Haec philosophorum *Motakhallim* doctrinae pars formalis, ut in transitu animadvertamus, Conceptualismo multis nominibus convenire videtur; qui Conceptualismus in rebus philosophis optima frugis jure habetur; dummodo intellectus numquam immemor fiat experientiae, tamquam unius magistrae, atque hoc pensum absolvere studeat, ut quae experientia docuerit, bene ordinet; quod tamen *Motakhallim* non semper ante oculos habuisse videntur. — Optime vero inter diversas philosophorum partes distinxerunt. Docemur nonnullos esse philosophos, qui essentiam necessariam, secundum ejus naturam, existere debere statuunt, reliquis vero, non secundum naturam, existentibus. Alii contra contendunt, omne quodcumque adsit revera existere, nec sine vera existentia, adesse posse¹⁾. Quid autem ipsi senserint, patet e ratione speculativa, qua inde a notione *Entis necessarii* ad Dei notionem progressi sunt. Novem utitur thesibus quibus absolvitur notio. 1. *Ens necessarium* non simul per se et per aliud quid necessarium esse potest. 2. Non ex aliis constat: quum enim ex aliis constaret, penderet quoque ex aliis, neque esset per se necessarium. 3. Reliquae res non *Ente necessario* existunt; non enim hujus Entis partes dicendae sunt. 4. Quod *Ens necessarium existat*, non accidens est. 5. Neque accidens quod necessarium est. 6. Necessarium esse per se de uno tantum praedicatur. 7. *Ens necessarium* sibi sufficit. 8. Non esse non potest. 9. Attributis praeditum esse potest, neque ea excludit! — Omnia autem quae in orbe terrarum conspiciuntur, inter se arcte con-

1) « Les êtres participent par conséquent de la réalité littéralement. »
pg. 146.

juncta sunt, ita ut alterum alterius caussa sit habendum; illorum nullum a se est, nullum per se necessarium. Attamen ratio humana ulterius progredi cupit, aliud quid requirit. Notio *caussae* nobis inest, quo fit ut per omnia, omnium quaeramus caussam, eamque primam. Hanc primam caussam, *Ens necessarium* esse dicunt.

Vides quatenus rara inter *Motakhallim* et Scholasticos obtineat similitudo. Quam accurate quaestiones difficillimae proponuntur, tractantur, solvuntur. Haec leviter tantummodo attingi, ut praecipue postquam, quae nunc monituri sumus, dixerimus, pateat quam facile theologia scholastica ad *Arabes* confugere potuerit, quibus eadem consilia, eandem fere philosophandi rationem communem habuit. Priusquam enim ad alia transeamus, oculos convertamus in aliam sectam, *Coufi* 1) dictam, dummodo hoc nomine uti mihi liceat; quoniam *Coufi* minus secta quam homines, peculiarem vivendi rationem sequentes, dicendi sunt; quod non satis attendisse videntur Brücker, Graham, Malcolm, Tholück, de Sacy. In memoriam solummodo revocemus quae, de Mysticismo scholae *Victorianae* agentes, Gazzâlî scripsisse memoravimus. *Coufi* enim, sicut Mystici illi, dicunt ipsam veritatem divinam hominibus pateferi, a rebus publicis sese removentibus, studiis humanis omnibus liberis, vitam degentibus contemplativam. Nominem *Coufismi*, proprio sensu, tamquam disciplinae constitutae uti non possumus; divina veritas nimirum singulis individuis patefit, ita ut numquam aliqua doctrina constitui possit, quae universe valeat. Sunt

1) Cf. Schmoelders l. l. pg. 205—213.

omnino libri qui de *Coufismo* agant bene multi, nec tamen eorum unus doctrinam exposuit. Ante omnia animadvertendum — quod magnam *Coufismum* inter et *Mysticismum* obtinere similitudinem, si quid video, comprobat — *Coufismum* non his illisve constare placitis, nec posci ut qui eum sectetur, sententias, quas ipse foveat, mutet. Fuerunt omnino qui putarent librum *Hayben-Sakzan* scriptaque philosopha *Gazzâlî* *Coufismi* summas continere sententias. Ipse *Gazzâlî* contra nobis exemplo esse potest, quam optime diversissima quaeque placita philosopha cum *Coufismo* conjungantur ¹⁾. Est autem in *Coufismo* secta notissima, quae illius indolem optime referre videtur, cujus doctrinam Vir. clar. Tholück Theosophiam Persarum pantheismum vocat, quam, quum audiamus, vitae contemplativae finis habendus est, Deo gaudere nobis sese manifestante, sive unione frui intima cum Divinitate; quae locum non habet nisi divina quadam mentis incitatione et permotione. Summa haec mentis incitatio hominem prorsus insensibilem facit, eo eventu ut animi quidem conditionis sibi non conscius sit. Nullis igitur opus est actibus, nullis officiis. Nihil interest, quamnam amplectaris religionis doctrinam; omnes enim regulae, omnes leges inde profluunt, quod discrimen adsit *ego* inter et *tu*; quod autem in *Coufismo* plane tollitur discrimen. Qui non agnoscat nihil interesse, utrum *Musalamius* sis an *Christianus*,

1) Pg. 207: "Pour m'expliquer en un mot, je dirai qu'un orthodoxe embrassant la vie coufique restera orthodoxe dans son coufisme, un Motazelite continuera d'être Motazelite etc."

nondum ad summae veritatis cognitionem pervenit, nec dualitate liberatus est 1).

Notandum est nomen, quo hujus doctrinae sectatores appellantur. Dicuntur enim *Halouliyath* 2), quod mundum et deum confundant, quos nos Pantheïstas vocamus. Ad pantheïsmum hic quoque tendit Mysticismus, nam Deus solus revera existere dicitur, ita ut quo religiosior quis esse cupit, eo magis sui ipsius conscius esse desinat 3).

Spero fore ut nulli ingratum fecisse opus videamur. Nos enim Theologiae mediæ aevi historiam delineantes, atque, quam magna *Arabum* apud Scholasticos fuerit auctoritas, describentes, non potuimus non commemorare, hos ab illis non ita remotos fuisse, ut esset quod vinculum inter utrosque intercessisse vehementer miraremur. Nostrum erat indicare quomodo fieri potuerit, ut *philosophia saeculo tredecimo altam recuperaret sedem, paene amissam*; quod nunc, ni fallor, quisque sponte intelligit, quum videat Aristotelem, tam magna apud *Arabes* auctoritate gaudentem, ut sufficienter patet ex secta *Motakhallim*, quippe quae in interpretando *Korano* ad *Stagyritae* philosophiam omnia informare studeret; nec non ex secta *Coufi*, quae dicitur. Quod universe valet, et hîc verum esse censeo, nullum exoriri Mysti-

1) Pg. 209: "Quiconque, dit le Dabistân, ne reconnaît pas qu'il est égal d'être Musulman ou d'être Chrétien, celui-là n'est pas encore délivré de la Dualité, il ne connaît pas l'Être véritable."

2) Franco-Gallice: Identificateurs.

3) Pg. 210: "Tout être qui est anéanti et qui s'est entièrement séparé de lui-même, entend retentir au dehors de lui cette voix et cet écho: Je suis Dieu; il a un mode d'exister durable à toujours, et n'est point sujet à périr."

cismum, nisi magnis philosophis studiis praecedentibus; ita ut non tantum ex his ipsis studiis, sed ex sequenti quoque Mysticismo aliquam philosophiam regnasse conficere liceat. Nunc autem de ipso vinculo videamus. Qui procul dubio apud Scholasticos celeberrimus *Arabs* erat, *Averrhoës* habetur, ante quem tamen nonnulli floruerunt, saepius a Scholasticis laudati. Quorum inprimis in censum venit *Alkendi*, jam supra commemoratus. Reperiuntur ejus sententiae in operibus *Alexandri Halesii*, *Henrici Gandavensis*, *Sancti Bonaventurae*. In philosophis ejus disquisitionibus perrexit *Hasan-ben-Sawâr*, cujus scripta tamen non ita innotuerunt. Eorum qui *Damasci* floruerunt professorum, maxime celebratus est *Al-Farabi*, quem cognoverunt *Gulielmus (d'Auvergne)*, *Vincentius (de Beauvais)*, *Albertus Magnus*. *Ihédal-Oloun* sive Encyclopaediam nobis dedit, cujus manuscriptum reperitur in Bibliotheca *Escoriali*; adest versio latina in Bibliotheca *Nationali Parisiensi*; anno 1638 hujus operis excerpta nonnulla edita sunt, cui accedit opusculum, de intellectu et intellectu. Post *Farabi* in censum venit *Ibn-Sina* (980), qui vulgo dicitur *Avicenna*, nec medicorum tantum aevi, sed etiam philosophorum magnus habebatur magister. *Canones* ejus a *Gerardo Cremonensi* versus finem saeculi duodecimi in latinum conversi sunt, ab eodem igitur qui una cum *Alfredo Morlaco*, de *Alkendi* atque *Alfarabi* bene meritus est. *Commentarios Avicennae* in libros *de anima*, *de coelo et mundo* atque in *Physicam* et *Metaphysicam* *Dominicus Gundesalvus* latine reddidit.

Avicenna Nominalista fuit, Realista contra Avi-

cembron. Nec nunc quoque silentio praetereamus, quem jam leviter attigimus, celeberrimum Algazalli. Jam vidimus, eum in philosophia Scepticismum, Mysticismum vero in theologia docuisse. Libris, quos praecipuos edidit, tituli sunt: "*Makacid-al-falásifa*" et "*Tchafot-al-falásifa*" quorum unus de philosophorum indole, alter de eorum agit destructione. Priorem tantummodo cognovisse videntur Scholastici, quem Dominicus *Gundisalvus* (saec. duodec.) convertit aequae ac (1506) *Lichtenstein a Coloniae* sub nomine: *logica et philosophia Algazelis Arabi*. Continet liber physices metaphysicesque peripateticae expositionem secundum *Avicennae* interpretationem. Quod posteriorem librum attinet, referre videtur *Graecorum* scepsin, atque studere ut adversus philosophemata illa de emanatione mundique aeternitate, fides *Muhamedana* stabiliretur. Nec minus in *Hispania* inclaruerunt *Arabes*, quorum imprimis incensum venit *Abou-beer-Mohammed-ben-Jahya-Ibn-Badja*, qui a Scholasticis, mira quadam nominis mutatione, dicitur *Avempace*. Perit liber, quo suam de formarum natura exposuit sententiam, quam *Duns Scotus* quoque retulisse videtur. Formas enim quatuor distinguit specierum, quarum *prima*: forma corporum coelestium, *secunda*, forma intellectus agentis, qui, materiae terrestri non particeps, huic tamen obviam ibit, intellectui possibili sive patienti actum praebiturus; *tertio* recensentur formae intelligibiles, in intellectu agente latentes; *quarto*, formae, quae a singulis rebus, abstrahendi ratione separatae, in individuorum intellectu reperiantur. Summae vero ei evenit gloriae quod *Averrhoës* eo usus est magistro, cujus, ut supra diximus, auctoritas in

Scholasticos maximi habetur momenti. Verisimile est omnia ejus opera, philosophiam spectantia, in Scholasticorum fuisse manibus; inter quae recensentur: commentarii in *Physicam*, *Logicam*, *Ethicam*, atque maximam Aristotelis operum partem; *destructio destructionis philosophiae* Algazalli; *Quaesita in libros logicae* Aristotelis; *sermo de substantia orbis*, *de animae beatitudine*, *Epistola de connearione intellectus abstracti cum homine*; caett.¹⁾ Oculos igitur in Averrhoë m convertamus, quippe qui Scholasticorum multis nominibus fuerit magister. Avempacem enim Abubacerumque non nisi ex Averrhoë cognoverunt; tum quoque, etsi Alkendi, Alfarabi aliique, saeculo tredecimo, legerentur, saeculis tamen XIV, XV, unus fere Averrhoës philosophiae *Arabicae* interpres habebatur. "Tempore²⁾, Michaëlis Scoti, qui annis 1230 transactis apparuit, deferens librorum Aristotelis partes aliquas de naturalibus et mathematicis, *cum expositoribus sapientibus*, magnificata est Aristotelis philosophia apud Latinos." Docemur igitur Michaelem Scotum³⁾ Aristotelis philosophiam introduxisse; nec frustra quaeritur, quibusnam ex fontibus nova illa Graecae philosophiae hausta sit cognitio. Averrhoë enim commentarios in libros de *Coelo* et *Mundo*, de *anima*, in latinum transtulit, ipsis manuscriptis testantibus; quamquam non diserte

1) Cf. Munck — *Diet. des sciences Phil.*, in voce Ibn-Roschd.

2) Cf. Baconis Opus Majus p. 36—37.

3) Parmi les ouvrages que s'attribue le prétendu Chroniqueur espagnol Julianus Petri, se trouvent quelques traductions d'Averrhoës.... Le faussaire a été bien maladroit, car Averrhoës était à peine né à l'époque où l'on fait fleurir le pseudo Julien." Rénan l. l. pg. 162.

commemoratum sit, commentarios quoque in „*de generatione et conceptione, de Meteoris, Parva Naturalia, de substantia orbis*” transtulisse videtur. Incertum est utrum etiam, qui in *Physicam* et *Metaphysicam* sunt commentarii, Michaeli Scoto tribuendi sint. Annus, quem a Bacone indicatum vidimus, non urgendus est ¹⁾, Gulielmus (*d’Auvergne*), Alexander *Halesius* ante hunc annum Averrhoïs commentarios cognovisse videntur. His quoque fortasse versionibus constabant, quae Fredericus II *Italiae* misit universitatibus addens: „*compilationes variae, quae ab Aristotele aliisque philosophis sub graecis arabicisque vocabulis antiquitus editae... nostris aliquando sensibus occurrerunt.*” Michael Scotus igitur illorum primus est, qui inde a saeculo tredecimo usque ad Vaninium, Averroïs nomine suam velarint impietatem. Accedit alter, cujus opera Scholasticis innotuit Averrhoës: Hermannus *Allemannus* nimirum. Non ipsa *Rhetorica*, nec *Poetica* adiit; iis vero quae apud Alfarabi, Averrhoëmque invenirentur, usus est. In ipso enim auctore tot ei occurrerunt difficultates ut assumpserit „*editionem Averod determinativam dicti operis (Poetica) Aristotelis, secundum quod ipse aliquid intelligibile elicere potuit ab ipso.*” Ipse autem confessus est Hermannus, Bacone testante, se magis adiutorem fuisse translationum, quam translatores „*quia Saracenos tenuit secum in Hispania, qui fuerunt in suis translationibus principales;*” ita ut *Musulamiis* quibusdam usus esse videatur Hermannus, linguae *Arabicae* peritis.

1) Cette date indique sans doute le moment où les travaux de Michel arrivèrent à la connaissance du Moine anglais.

Medio igitur saeculo tredecimo praecipua Averrhoïs opera ex *Arabico* latine reddita erant. Commentarii tamen in *Organon* aequae ac *Destructio Destructionis* Scholasticis ignoti fuisse videntur. Ut igitur constat de tempore, quo Averrhoïs versiones factae sunt, non ita accurate dicere licet, quando haec nova scripta ad medii aevi eruditionem doctrinamque pertinuerint. In hoc tempore constituendo saepius errarunt Viri docti. Descripserunt enim bene multi locum, qui seriem lectionum *Cantabrigiensem* tradit, ubi Averrhoïs scripta tractari dicebantur anno 1109, quo nondum natus fuit ipse! Quod autem hoc anno saeculi duodecimi fieri non potuit, id saeculi tredecimi, eodem anno, factum esse, constat. Nullus enim dubitat Rénan, quin ante concilium *Parisiense*, *Arabicae* philosophiae nulla fiat mentio. Anno vero 1209 concilium factum est *Parisiis*, quo non tantum Amalricus (*de Bène*), Davides (*de Dinant*), eorumque damnati sunt discipuli, ubi vero quoque jussum reperitur: „Nec libri Aristotelis de naturali philosophia nec *commenta* legantur *Parisiis* publice vel secreto 1). Quae verba, *de naturali philosophia*, quid sibi velint, optime docuit Hauréau 2).

Attamen Jourdain, Hauréau aliique non audiendi videntur, voce *commenta* Averrhoïs scripta significari statuentes; neque enim verisimile est, Averrhoïs commentarios decem annos post ejus obitum divulgatos fuisse inter Scholasticos; quae tandem de Michaeli Scoto vidimus, vetant quominus in horum virorum partes abea-

1) Apud Martenium, *Thes. nov. anecd.* t. IV p. 166

2) *De la phil. scol.* t. 1. p. 402—410.

mus. Ingeniosa Viri Cl. Rénan est conjectura, quae ex lege alicujus Roberti (*de Courçon*) (anno 1215) de Averrhoë commentariis, quatenus Scholasticis innotuerint, nos certiores faceret. Lex enim ita sese habet: „Non legantur libri Aristotelis de metaphysica et naturali philosophia, nec summa de iisdem, aut de doctrina Magistri Davidis (*de Dinant*) aut Amalrici haeretici, aut Mauritii *Hispani*.”¹⁾ Animadvertit Rénan, Averrhoë nomen saepius magnopere mutatum esse, ita ut pro eo scriberetur Mahuntius, Menbutius, Maunicius, Avenryz, Benryz, Beuriz caett.; unde non est quod valde miremur, Robertum pro Averrhoës scripsisse Mauritius. Quae conjectura tamen, ut Rénan ipsi minus placuit, nobis quoque improbanda videtur. Eadem, si quid video, premitur difficultate, ac Viri Cl. Hauréau aliorumque, quos supra memoravimus, sententia; imprimis quum Michaëlis Scoti, anno demum 1217 Averrhoëm introducentis, rationem habeamus.

Quidquid sit, Averrhoëm maximi fuisse momenti, multumque in Scholasticis valuisse, quis est qui neget? Nec tamen nos fugiat Averrhoëm, medio aevo, duplicem ferre personam. Aeque jure dicimus, Scholasticos eum habuisse „canem illum rabidum Averroëm, qui furore actus infando, contra Dominum suum Christum, contraque catholicam fidem latrat²⁾”, ac eos statuisse „quod Aristotelis doctrina ejusque commentatoris Averroës.... aliorumque Realium doctorum.... tam

1) Bulaeus, *Hist. Univ. Paris*, t. III. p. 82.

2) Petrarch. *Epist. sine titulo* p. 656.

in sacrae theologiae quam artium facultatibus, deinceps more consulto legatur, doceatur caett. 1). Partim enim Averrhoës magnus ille habetur philosophi Graeci interpret, partim ab eo quam maxime abhorret, tamquam ab impiorum patre, omnisque religionis calumnatore. Guilielmus (*d' Auvergne*) singula quaque librorum pagina, commentatori adversatur *Arabico*; Averrhoëm tamen philosophum dicit nobilissimum 2). Impugnat Albertus *Magnus* doctrinam de intellectus unitate; laudatur tamen ab eo Averrhoës, licet tantummodo ut refutaretur Avicenna. Acerrimus adversarius Thomas erat, qui vel sic quidem ab Averrhoë philosopham suorum operum mutuatur formam: nec non Averrhoë usus est magistro, in philosophia „quodam singulari et novo modo tradenda,” quamvis vituperet eos qui malint.... „cum Averroy aberrare, qui non tam fuit peripateticus, quam peripateticae philosophiae depravator.” Dante orthodoxus Dominicanus esse nequit, nisi vituperet Averrhoëm, licet eum se sapientiore confiteatur.

Gilli *Romano*, „de erroribus philosophorum” scribenti, Averrhoës omnem religionem plane contempsisse videtur. Maxime autem in Averrhoëm saeviit Raymundus Lullus, celeberrimus ille novae disputandi artis inventor. In libro „de lamentatione duodecim principiorum philosophiae, contra Averrhoïstas,” proponitur philosophia, querimonias jacens de Averrhoïs erroribus. Longum esset omnes enumerare, quos contra Averrhoëm confecit libros, immo sermones. Nam „Raymundus errorem illum tole-

1) *Ordonn. des rois de France* t. XVII. p. 610 Cf. *Boulay* t. V. p. 708.

2) *De Univ. Opp.* t. I. p. 851.

rare non poterat, quo Averrhoistae dicunt multa esse vera secundum fidem, quae tamen falsa sunt secundum philosophiam . . . dicentes fidem christianam quantum ad modum intelligendi fore impossibilem, sed eam veram esse quantum ad modum credendi, quum sint Christianorum collegio applicati 1).” Quod inprimis notandum mihi videtur, tamquam Averrhoismi nota characteristicae; en quoque ipsum illud cujus nostra, quoad hanc disquisitionem, maximopere interest. *Arabum* enim philosophia, licet Aristotelis nomen universe prae ceteris philosophis maximis extollat laudibus, minime dici potest Aristotelis plane referre doctrinam; miscbant enim nonnulla e philosophia *neoplatonica* sumta. Deinde, *Arabum* scripta non semper probe intellexerunt Scholastici, quod inprimis de Averrhoë valet. Averrhoë enim multa tribuebantur, quae eum numquam dixisse constat; atque contra saepius factum est ut valde probaretur Averrhoës, placita vero damnarentur, quae tamen ab eo docta fuisse nonnumquam ignoraverunt Scholastici. Itaque non quaeritur quisnam revera *Arabs* philosophus habendus sit, utrum improbandus necne; nam potius videndum est de Averrhoë, qualis a Scholasticis theologis acceptus sit. Nec difficile est paucis exponere, quae hac de re nobis videantur. Averrhoës nimirum, si quid video, Scholasticis erat Realista audacissimus, simulac philosophus acute distinguens, ut supra vidimus, philosophiam inter et theologiam. Quae quum probe teneamus, sponte intelligitur, quanti momenti in hac secunda Scho-

1) Acta s. s. Junii t. V. p. 667 et 677. Cf. Rénan pg. 205 ubi praecipui recensentur libri, quos contra Averrhoë scripsit Raymundus.

lasticismi periodo habendus sit Averrhoës. Si enim attendimus, hac aetate memorandum illud quoque actum esse certamen, quod *Franciscanorum* a *Dominicanorum* toto coelo sejunxit schola, neminem latebit duplicem illam, ut vidimus, quam gessit Averrhoës personam multum tribuere, ad hanc pugnam recte explicandam. Quoniam nimirum Averrhoës impius habebatur philosophus, secure *Dominicani* eo in philosophia usi sunt magistro, non metuentes unquam illum theologiae noxium fore; deinde, quo magis in Averrhoëm impium saevire liceret, eo magis philosophantes se Aristotelem sequi dictitare potuerunt, quippe quem, ut ferebatur, Averrhoës non semper probe interpretatus fuisset. Ab altera parte negari non posse videtur, ab omni Mysticismo non absolvendos esse *Franciscanos*; quae quum ita sint, de *Franciscanis* quoque valet, quae supra de Mysticis univarse animadvertimus. Itaque ut Mystici, *Franciscani* cum Nominalistis commune habebant, quod rationi in theologia omnem prorsus denegarent auctoritatem; cum Realistis vero, id quod contenderent, quae necessario cogitet homo, vera esse. Nunc vero insigne ac memorabile priscos illos Mysticos inter et *Franciscanos* obtinet discrimen. Nominalium enim sententiam, ope rationis divinam veritatem non inveniendam esse, adhibuerunt Mystici, quoniam fides ratione debilitari iis visa est, ita tamen ut, ratione missa facta, contemplationem recuperarent. *Franciscani* contra ea utebantur sententia, ut se veram religionem non amplius profiteri occultarent; quod in Gulielmo Occamo manifestum esse, quis est qui neget? Adversus igitur Scholasticos illos orthodoxos, absque omni *Averrhoïsimo* abhorrentes aderat schola, quae *Com-*

mentatoris auctoritate suos velavit errores, e qua Duns Scotus, Occamus, Marsilius *Paduavensis* orti sunt. Quod tam vehementer Thomae adversati sunt doctrinae, jam libertatis studiorum initia fuisse, probe ostendit Renan¹⁾. Nonne Thomas doctor erat Ecclesiae Catholicae acceptus, quem papa dixerat „tot fecisse miracula quot scripsit articulos?“ Deinde, Duns Scotus, Occamus aliique, placita Christiana non nisi patefactione probari posse docentes, viam aperuerunt illis, qui hac rejecta auctoritate, rationis ope omnem impugnaturi essent religionem. A verrhoës igitur medii aevi et Nominale et Reale, ut ita dicam, nobis repraesentat principium; prius sibi vindicaverunt *Franciscani*; distinguentes nimirum theologiam inter et philosophiam; posterius vero, licet *se ipsis invitis*, adhibuerunt *Dominicani*.

Accedit quod A verrhoës, utrique parti quodammodo placens, utramque nonnumquam confuderit. Quis enim illius aetatis diversissimas sententias accurate distinguat, et accurate definiat? Verba, quibus initio usi sunt Viri docti, non raro, procedente tempore, suam mutarunt significationem. Cum Viro Cl. Renan valde dubitandum esse videtur, quin is, qui olim de litium hujus saeculi undevicesimi historia acturus est, idoneus foret ut viros doctos inter se certantes probe distinguat²⁾.

1) La famille de St. Francois necessait de produire d'ardents esprits, qui maintenaient que la réforme franciscaine n'avait pardonné tous ses résultats; que cette réforme était supérieure au pape et aux dépenses de Rome.... de là ces mouvements démocratiques et communistes, se rattachant presque tous à l'esprit franciscain.... De là cette longue liste de hardis penseurs, presque tous fort hostiles à la cour de Rome, que l'ordre necessita de produire.

2) Non possumus non hic laudare venustum illud: „on a spirituellement

En aetatis, quam nunc pertractaturi sumus, summum conspectum. Haec enim praemonenda videbantur, ut sequentium indolem et momentum, melius intelligeremus. Quamvis hoc excursu nihil novi lectoribus praestare potuerim, retinere tamen nolui, quae ad argumentum illustrandum inservire possint, meoque iudicio necessaria sint. Spero fore ut mihi contigerit, quae ipse probe intellexi, lectoribus quoque perspicue tradidisse.

SECTIO II.

Davides de Dinando. Amalricus.

Anno 1209 concilio *Parisiensi* duo damnati sunt Viri, Davides de Dinando et Amalricus, e villa quae *Bena* dicitur, oriundus; quem se transtulisse refert Rigordus¹⁾ „ad sacram paginam excolendam; semper tamen secum per se modum docendi et dicendi habuisse, et opinionem privatam et iudicium quasi sectum et ab aliis separatum.” Quisnam ille Davides, quis Amalricus? Quam ob rem damnati sunt? Cum Amalrico initium nobis faciendum erit, quippe qui alterius fuerit magister.

Realismus, quem primo Scholasticorum tempore, veluti coecum, atque, quo tenderet, inconscium, Ecclesiae

dit (c'est Mad. Necker je crois) qu'au bout d'une demi-heure de n'importe qu'elle dispute, personne des contendants n'a plus raison et ne sait plus ce qu'il dit; que faut-il penser quand on est au bout d'un demi-siècle? Sainte-Beuve, Port Royal p. 25.

1) Bulaeus, T. III. p. 25.

vehementer placere; quem deinceps per Conceptualismum sua, ut ita dicam, simplicitate orbatum, viribus defessis, per Mysticismum, ad priscam gloriam quodammodo reducem vidimus, tertium stadium ineat necesse est; quo neque Ecclesiae placere, nec sibi sufficere poterit. Debet enim Realismus, dum sibi constet, a singulis quibusque ad universalia adscendere; debet quoque magis magisque studere, ut ad unum tantummodo perveniat universale, quod omnia amplectatur singula. Ratio nimirum humana pergere potest, omnia singula cogitatione ita separans, ut unum tantum supersit, a quo ulterius quid separari nequeat. Quum vero cum Realistis quod subjective, licet necessario, cogitetur, objective quoque verum esse statuendum sit, non dubitari potest, quin non *cogitatione* tantum, sed revera etiam unum tantum supersit universale: quod aliis verbis ita exprimere liceat, ut pantheismus Mysticus Realismi dicatur finis. Pantheismum dico Mysticum; nam hicce pantheismus non ex eo ortum est, quod a multitudine rerum visibilium ad Deum procedere nequeat ratio humana; a Deo contra, uno universali, omniaque amplectente, ad singula descendere nequit pantheïsta Mysticus. Tam arctum ei intercedit Deum inter et mundum vinculum, ut non Dei, sed mundi plane tollatur existentia. — Quae ita fore a priori concludimus; nec rem fefellit eventus. Gersonis ¹⁾ enim tractatu Amalricum statuisse docemur: "*Omnia sunt Deus: Deus est omnia; Creator et Creatura idem; Ideae creant et creantur.*" Animadvertantur inprimis haec: "Deus ideo dicitur finis omnium, quod omnia reversura sunt

1) Vid. Tennemann, Bd. VIII. 1e Abt. p. 320.

in ipsum ut in Deo immutabiliter conquiescant, et, unum individuum atque incommutabile permanebunt." Ubi testimonia adsunt, non opus est verbis. Hisce autem plane respondent, quae caeteris in rebus docuit; peculiari modo Christi corpus in pane altaris esse negabat, atque, ut sponte intelligitur, negare debuit. Statuerit Deum locutum fuisse in Ovidio, sicut in Augustino, necesse est; nec potuit non corporum negare resurrectionem, quum nimirum, qui Deum cognoscat, in se Paradisum habeat, vitaeque gaudeat coelesti.

Dixit porro Deum esse essentiam omnium creaturarum; quod de Christologia etiam valere censuit, ut "ausus (sit) constanter affirmare quod quilibet tenetur credere se esse membrum Christi." Quae quidem praecipua ejus sententia habetur. Ut vero in omni pantheismi doctrina nulla prorsus adest ethica, nulla vis moralis, eam hic quoque frustra quaerimus¹⁾. "Si aliquis est in Spiritu sancto, aiebant, et faciat fornicationem aut aliqua alia pollutione polluatur, non est ei peccatum, quia ille spiritus, qui est Deus, est in eo. Ille operatur omnia in omnibus." Ad quam turpissimam sententiam fulciendam docuit, quod etiam pantheisticae ejus rationi plane conveniret, "testamenti novi sacramenta finem habere et tempus s. Spiritus incepisse.... unumquemque tantum per gratiam Spiritus sancti interius sine actu aliquo exteriori inspiratum salvari posse." Caritatis virtutem sic ampliabant, "ut id, quod alias peccatum esset, si in virtute caritatis fieret, dicerent jam non esse pecca-

1) Bulaeus, t. III. p. 48 qui ex Hugone, Rigordo, aliisque fontibus hausit.

tum." Unde et stupra et adulteria et alias corporis voluptates committebant mulieribus.... "Dominum tantummodo *bonum* et non justum praedicantes." Hunc antiquorum philosophorum errorem, Deum esse essentiam omnium rerum, Davides de Dinando quoque, Amalrici discipulus, Thoma testante, secutus est. Omnibus enim in corpora, animas et substantias aeternas separatas a Davide divisas, materia, Noys et Deus singulorum principia proponuntur. Quae tria tamen unum idemque esse contendit, ita ut omnia per essentiam unum esse sequatur. Distinguit tamen Thomas¹⁾ Amalrici pantheismum inter et Davidis; quae distinctio subtilior, quam verior esse videtur. Docet enim secundum Amalricum Deum formale esse principium, materiale contra secundum Davidem. Hunc vero theologum, tria adesse prima indivisibilia statuentem, nec tamen ea a se invicem distingui patientem, Deum revera omnium principium formale habuisse, contendimus; ex his enim primis indivisibilibus omnia constituuntur; his informantur omnia.

In hac Amalrici Davidisque doctrina pantheistica rite exponenda longior fui, ut pateret Realismum, omnibus remotis ambagibus, ad ultimum pervenisse finem. Quod in ipso principio latere videbatur, nunc in conspicuo est, nunc ante omnium oculos habetur. Nec dubitari potest, quin aliter evenire potuerit. Omnes igitur mihi assensuros censeo contendenti, quemcumque a Realismi principio initium facientem, ad pantheismum mysticum pervenire.

1) *Summa theol.* p. I. q. III. art. 8.

SECTIO III.

Alexander Halesius. Robertus Lincolnensis.

Hanc doctrinam pantheisticam me non ad priorem retulisse periodum, est fortasse, qui valde miretur. Dicit enim historiam philosophiae, medio aevo, in duas partes optime distingui, quarum una sit, ad quam Realismus, altera ad quam duxerit Nominalismus. Nec me habebit contra disputantem. Quid? Historia *philosophiae* cum nobis pertractanda esset, nullus dubitaverim quin ad priorem aetatem hic referendus sit Realium pantheismus.

Verum non id agimus. Theologiae tantum ratione habita, videmus quid de Realismo et Nominalismo statuendum sit. Omnia igitur referenda sunt ad ea, quae sibi proposuerint theologi Scholastici. Quae quum ita sint, haec quoque, quae de Deo philosophati sunt Amalricus et Davides, novis illis philosophis studiis tribuenda censeo, quorum caussa in *Arabum* operibus innotescentibus latuisse videtur. — Mirum est quam celeriter horum opera divulgarentur; audimus ¹⁾ enim anno 1270 Stephanum *secundum*, episcopum *Parisiensem* tredecim damnantem capita *Arabum*, quae Averrhois inprimis referrent sententias. Audacia enim atque impudentia philosopha non parum augebatur libro, cujus nondum mentionem fecimus, etsi maximi momenti habendus sit. Libri, quem significo, titulus est: *de Causis*; versus finem saeculi

1) Cf. Tenneman VIII. b. 458 sqq. ubi plurima memorantur decreta philosophiam increscentem spectantia.

duodecimi innotuit; eoque usus esse videtur Alanus ab *Insulis*. Acceperunt librum Scholastici, glossa praeditum, Alberto *Magno* testante, a manu Davidis cujusdam *Judaei*, nec dubitarunt plurimi, quamvis non omnes hac in re consenserint, quin unus Aristoteles hujus libri auctor salutandus esset. Continet liber, ut omnibus saltem optimisque judicibus ab initio inde visum est, summam doctrinae Aristotelicae, ac longa constat theorematum serie, de quibus conferatur Hauréau¹⁾. Aristoteles igitur hujus aetatis unus fere doctor, summus magister est, licet eum non nisi per *Arabes* cognoverint Scholastici; quo factum est ut quae revera exstiterint partes, a se invicem accurate distinguendae sint. Saepissime nimirum Avicennae adhibetur auctoritas ad Avicembron, Averrhoemque impugnandum, quum primus ab Aristotele raro discederit, reliqui vero eclecticismum quendam *Alexandrinum* sibi vindicaverint.

Primum igitur, ut vidimus, quod novis libris docebantur Scholastici, doctrina est de unitate, proprio sensu; sive, aliis verbis pantheismus²⁾; quod inprimis probe tenendum est, quum maximam partem hujus aetatis theologia dicenda sit: *certamen acerrimum inter doctrinam Ecclesiae constitutam et novam Averrhois philosophiam*. Quo gravior Averrhois auctoritas, quo facilius utrisque partibus placere potuerit, eo acrior pugna. Nam longe abest quod tredecimo saeculo omnes eadem professi sint. Nulla fortasse adest aetas qua in tot diversissimasque partes abierint Viri docti. Ingeniose monet Hauréau

1) Hauréau, pg. 384—389.

2) C'est là le fait considérable qu'il faut retenir, dicit Hauréau.

pro nova, quam acceperunt, methodo distinguendum esse inter varias sententias. Secundum Avicennam enim, ipso auctore Hauréau, triplex humanae scientiae adest materies. *Primo*, res considerantur quales in ipsis earum essentiae principiis sint; *secundo*, quales in natura reperiuntur, sive in singulis earum proprietatibus; *tertio*, quales sint in intellectu agente. Cui distinctioni tres respondent disciplinae, nempe logica physica, metaphysica.

Qui post duos illos, de quibus supra vidimus, pantheistas *Arabum* scriptis usus est, Alexander *Halesius* non is fuit, qui nobis magni in theologia habeatur momenti; nam hi errare videntur, ut Bulaeus, Brucker, Ritter ¹⁾, alii, qui Alexandrum primum fuisse censeant commentatorem in libros sententiarum, quem honorem Gulielmo *Arverno* tribuendum esse demonstrat Hauréau. Realismum, etsi moderatiorem, docuisse Alexandrum satis constat; quod etiam patet ex verbis quae mox laudaturus sum. Nam eorum verborum nostra interesse puto; quippe quae ipsum idemque contineant argumentum, ac locus, qui est de creatione apud Virum clarissimum Secretan ²⁾. *Lausannensis* nimirum ante hos paucos annos professor, nunc vero munere defunctus non semper sibi constare videtur; dum enim multum sudat se, quoad formalis saltem doctrinae principium attinet, Nominalistam probare, in medium Realismum ruit, nec vehementer vituperaret illud Alexandri: „Potest dici quod ex necessitate bonitatis condidit (Deus) res, non tamen videtur congruere quod dicatur ex

1) Cf. Th. 2 pg. 281.

2) *Philosophie de la liberté*, Tome second, Initio.

necessitate naturae. Licet enim sit idem bonitas quod natura ejus, tamen si diceretur ex necessitate naturae, videretur bonitatis necessitas, qualis est in rebus naturalibus" 1). Manifestum est Alexandrum in Realismo non plane acquiescere potuisse, atque eum conatum esse, ut difficultatem tolleret in mundi creatione, salva tamen Dei libertate, explicanda. Ideis aeternis creationis exemplaribus habitis, Deum non amplius liberum esse, bene vidit Alexander. Ad haec enim exemplaria Deus creare mundum debuerit. Quam ut vitaret *Charybdim*, *Scyllae* illidit. Realistica ratione inter varia Dei attributa distinguens, Dei bonitati tribuit "quod ejus naturae recusare studet. Non tamen (videri) congruere" dicit quae prorsus similia sunt, quo fit ut verbo magis quam re ullum cernatur discrimen. Quod ex bonitatis necessitate creatur, id quoque e naturae necessitate creatum esse quis est qui neget? Creatur mundus ex bonitatis necessitate; ergo necessario Deus creavit mundum. Quidquid contra disputet Alexander, nihil valet, neque ullius habemus momenti. Felicioris ingenii Alexandri aequalis fuit Gulielmus *Arvernus* sive *Parisiensis*, cujus supra memoravimus commentarium. Non tantum Avicennae, sed quoque 2) Alfarabii, Algazelli, Averhoïsq̄ue librorum lectioni operam navabat. Omnis ejus philosophia continetur libris "*de universo*" et "*de anima*" 3). Attamen metaphysicus potius, quam philosophus dicendus est. Nam non plane in philosophia ac in theologia sibi constitisse

1) *Summa*, pars II.

2) Jourdain, *Recherches Critiques*, passim.

3) Ed. Blaise Leferon 1674.

videtur. Celeberrimum illud, quod de intellectu agente Averrhoëm docuisse cuique notum est, quam vehementer impugnat Gulielmus; ratiocinationibus utens Nominalium redolentibus sententiam. Diserte affirmat "quod formae intelligibiles non fiunt in intellectu materiali, sive possibili, per receptionem earum ab aliqua intelligentia agente et movente, seu illuminante." Intellectum agentem naturam esse unam omnibus communem, omnibus singulis proprietatibus orbatam, sententiam esse ducit veteri fatalismo faventem, omnemque tollentem hominis libertatem. Nec tamen in theologia eum Nominales secutum esse liquet. Realibus potius usus est ratiocinationibus, ut doctrinam de emanatione refutaret. Quum vero nobis ad graviora properandum sit, perstringamus tantum, qui hoc tempore floruerunt doctores; inter quos recensetur Robertus *Lincolniensis*, scriptor operis de Theologia Mystica *Dionysii Areopagitae*, de duobus libris "secundae Analyticae," de octo libris "Physicae." Anno vero 1253 mortuus est. Triplici ratione distinxit inter formas; quod eam ob causam memorandum mihi videtur, quia hanc quoque distinctionem retulerunt Albertus *Magnus*, Thomas *Aquinas*, Duns *Scotus*. Adde tamen oportet, hanc distinctionem, proprio sensu, non Roberto tribuendam esse, quippe quae ab *Arabibus* originem ducat. "Est autem forma triplex¹⁾. Una est

1) Scripsit Hauréau "à propos de tout et même à propos de rien, on développe des systèmes préconçus, qu'ensuite on place, pour le besoin de la cause, sous la responsabilité du philosophe et suivant le tempérament du lecteur, qui occupe la chaire, le même Aristote, étudié dans les mêmes livres, est proné tour à tour comme le plus intraitable des nominalistes,

quae est et consideratur in materia, de qua considerat philosophus naturalis. Secunda est, de qua considerat mathematicus, quae abstrahitur a motu et materia, non secundum esse, sed secundum considerationem. Tertia est illa, de qua considerat metaphysicus, quae abstrahitur a materia et motu secundum se et secundum considerationem, cujusmodi sunt intelligentia et aliae substantiae separatae, scilicet Deus et anima et alia hujusmodi." Ex his, ut ex aliis, constat Realistam fuisse Robertum, neque experientiae ullam rationem habuisse videtur. Ut hujus aetatis indolem probe cognoscamus, juvat animadvertere Robertum suam doctrinam in libris "secundae Analyticae" invenisse se putare; constat vero eum ipsum Aristotelis librum huic doctrinae quam maxime oppositum esse. Scilicet hic saeculo tredecimo mos erat Aristotelem interpretandi, ut bene explicavit Haureau, cujus pulera ad hunc locum conferantur verba. Qui universe hujus saeculi scientiae thesaurum cognoscere cupit, is adeat *speculum Majus* Vincentii *Bellovacensis*, quod illius temporis encyclopaedia quodammodo dici potest. Realium sententiis quoque addictus fuit. *Speculum* illud *Majus* tria potius continet specula, quum tertium speculum dicitur doctrinale; licet theologiam metaphysica superare contenderit, nequaquam tamen inter utramque disciplinam pugnam esse patitur.

Haec vero, quippe minoris momenti, missa faciens, ad summos transeo hujus aetatis theologos, eorumque doctrinam. Quo difficilior nobis erit totius rei per-

ou le plus absolu des réalistes, et quelque fois encore comme le plus extravagant, des mystiques. Il faut en prendre son parti."

spicuius conspectus, eo religiosior ipsa, quae docuerint, referre studebo. In Albertum *Magnum* igitur oculos convertamus.

SECTIO IV.

Albertus Magnus.

„Vir in omni scientia adeo divinus, ut nostri temporis stupor et miraculum congrue vocari possit.” Talem Albertum *Magnum* fuisse testatus est Ulricus Enhelbertus. Nam „ob amplitudinem omnifariae doctrinae magnus dictus fuit in omni philosophia peripatetica peritissimus¹⁾);” atque in theologiae scholasticae historia percurrenda vix aut ne vix quidem ullum reperimus theologum, Alberto *Magno* majorem. Is quoque primus nobis est, qui, medio aevo, in scholis publicis omnem philosophiam Aristotelis palam commentari se professus est, ita ut haud sine ironia simia Aristotelis appellatus sit, „qui et nimium vino saecularis scientiae ebriatus sapientiam humanam, ne dicam philosophiam profanam, divinis litteris copulare ausus est²⁾.” Satis vero superque nobis adsunt testimonia, quibus magni nostra interesse constet accurate inquirere, quid de Alberto *Magno* iudicandum sit. Albertum non fuisse Realistam Hauréau³⁾) nobis auctor est, eo sensu, quo nonnulli

1) Langii *chronicon Citicense* ad a. 1258.

2) *Ibidem*.

3) l. l. Tome second p. 24 sqq.

fuerunt interpretes libri, cui titulus est *de Causis*; negavit enim universalia per se existentia, absque causa separata; nec non omnia rejecit, quae de mundo archetypo Platonis sectatores dicitent, nec Gulielmum a *Campellis* secutus universalia *in re* esse voluit; nec tandem in eorum abiit partes, qui doctrinam *non-differentiae*, de qua supra egimus, amplectarentur. Diserte enim affirmans formam primordiale, ante omnem actum haberi posse essentiam formalem, id est quae reale quid informare possit, ab altera parte expresse negat id, quo variae res non differant, per se subjectum substantiale dici posse, sive creandi conditionem. Non magis Nominalista aut Conceptualista dicendus est. Quidni? Platonem nimirum Aristotelemque in gratiam reconciliare conatus est. Videbimus autem quatenus id ei contigerit. Id interea revera sibi voluisse quemadmodum alia, haec quoque comprobant. „Scias quod non perficitur homo in philosophia, nisi ex scientiae duarum philosophiarum, Aristotelis et Platonis¹⁾.” Voti non compotem factum esse, eumque procul dubio Realistam fuisse, pro viribus ostendemus.

Uniuscuiuscunque rei essentia, duplici modo, secundum Albertum considerari potest. „Uno quidem modo prout est essentia quaedam absoluta in se ipsa, et sic vocatur essentia et sic est una sola. Alio modo ut ei convenit communicabilitas secundum aptitudinem etiamsi *numquam* dat illud ($\tau\omicron$ esse, scilicet), et sic proprie vocatur universale; *omnis enim essentia communicabilis multis* universale est. Per hanc igitur aptitudinem universale est in

1) *Metaphys.*, lib. I, tract. V, c. XV.

re extra, sed secundum actum existendi in multis non est nisi in intellectu ¹⁾). Docemur igitur essentiam considerari posse, tamquam ab omni materia separatam, tum vero etiam, quatenus in ipsa materia aut individuo conspicua sit. Haec quidem vera sunt, habetque igitur Albertus me assentientem, has considerandi rationes a se invicem differre; nec tamen video, id animadvertisse quid prosit. Vides quam ambigua sint, quae Alberti sententiam referre debuissent. Videtur enim distinguere inter universale in re extra, atque universale in intellectu; nullum vero, quum, quae dicit, probe animadvertamus, adest discrimen. Affirmat enim Albertus essentiam „per aptitudinem,” id est, quoad facultatem sese communicandi, universale esse in re extra, licet addiderit „secundum actum existendi in multis,” id est quatenus essentia in singulis conspicua sit, „non esse nisi in intellectu.” Adsit igitur aliquid, quo sublato, nihil existat. Res ipsae igitur non existant, nisi essentia illud τὸ εἶναι iis communicaverit. At mehercle, quis est Realista, qui huic sententiae nomen dare noluerit? Cujusnam pretii, quaeso, illud additum: secundum actum existendi in multis universale tantummodo esse in intellectu? Quod nullum Realistam negandum fore puto. Juvat Alberti mutare verba, ut ea Realismum plane redolere appareat. Haec nimirum thesis (liceat enim Scholasticis uti vocabulis) plane Conceptualista foret: „Per hanc aptitudinem universale est in intellectu, sed secundum actum existendi in multis revera adest;” quum saltem universale „hac aptitudine” praeditum esse, universe affirmaret bonus Conceptualista. Nam Conceptualista

1) *De intellectu et intelligibili* T. V. p. 247, Tennemann l. l. p. 496.

sive Nominalista, neque universe praeter Realistam aliquis universale aptum habebit ad existentiam singulis rebus communicandam.

Constat igitur apud nos Albertum fuisse Realistam, eo sensu quod universalia, tamquam omnium rerum fundamentum vere existere duxerit. Ne quis autem miretur, eum nihilominus simiam Aristotelis vocari, ejus in memoriam revocare liceat, saeculo tredecimo eclecticismum viguisse Scholasticum; inter quem tamen et criticum illum eclecticismum posteriorem nihil commune est. Eo factum est ut plurimi Scholastici, atque nominatim Albertus *Magnus*, totius universe philosophiae *Graecae* principia, neque igitur Aristotelis Platonisque accurate cognoverint. Errant igitur, qui eos hunc illumve *Graecorum* philosophum unice secutos esse censeant; multo magis eclectici habeantur, e diversissimis scholis doctrinisque, quod placeret, sibi eligentes.

Quemnam locum sibi in philosophia vindicaverit Albertus, satis, ut spero, indicatum est. Indagemus quamnam in theologia ejus philosophia habuerit vim. Omnes universe hujus aetatis Scholastici, atque inprimis Albertus *Magnus* ad argumentum redeunt, quod dicitur *cosmologicum*, ut Dei probetur existentia. Affirmat enim Deum ¹⁾ „ex solis naturalibus (posse) cognosci, quia Deus est positivo intellectu;” addit tamen „quid autem, non potest cognosci, nisi *infinite*. Dico autem *infinite*: quia, si cognoscatur, quod substantia est incorporea, determinari non potest, quid finite genere vel specie vel differentia vel numero illa substantia sit.”

1) Alberti *summa theol.* P. I. t. XVII.

Dicit porro Deum esse „substantiam infinite eminentem super omnem substantiam.” Quamvis igitur Dei essentiam omnem nostram cognitionem longe superare contendat, Deum esse probari posse censet e repugnantia quae, Dei existentia sublata, obtineat; sive aliis verbis — in quo argumenti cardo vertitur — Deum esse si neges, tantas difficultates tollas necesse erit ut longe expeditius videatur eum agnoscere. Ratiocinatio huc redit: 1°. Multa in universo reperiuntur, quae explicari nequeant, quia ipsius universi caussa latet. 2°. Deo existente omnia explicantur. 3°. Deus adsit necesse est.

Hac forma simplicissima argumentum cosmologicum, si quid video, optime reddi potest, quod tamen ulterius exponere liceat, iisdem verbis e libro *de causis et processu universitatis*, quibus etiam usus est Albertus. Praestat, opinor, ratiocinationem qualemcunque brevissimis referre verbis, ut quisnam error contineatur eluceat. Quodsi nobis contigerit, veluti in syllogismum, probe redigere quid sibi velit argumentum *cosmologicum*, cuique sponte patebit quid desideretur. Concedentes enim, universi causam explicari non posse, nisi Deus adsit, summo jure quaerimus, quamobrem universum explicetur necesse sit. Petitio principii vix aut ne vix quidem ulli latere potest. Dicitur universi caussa, Deo sublato, non explicari; Deo contra existente, omnino explicari. Concluditur Deum existere debere.

Ne autem in his diutius detineamur, evolvamus locum, qui reperitur in libro: *de causis* etc.: „ad probandum unum primum principium in omni genere causarum, licet multae sunt viae, tamen potissima est una, scilicet, quod in omni genere causarum et rerum, in quibus

invenitur medium compositum ex extremis, necesse est invenire extrema simplicia. In omni autem genere causarum invenitur quod est causa et causatum, — movens et motum. Et movens tantum erit primum, motum tantum erit ultimum. Si enim dicatur, quod infinita media moventia et mota, sive causantia et causata, constat, quod quodlibet illorum erit compositum ex virtutibus compositis moventis et moti, sive causantis et causati. Omne autem compositum resolvitur in componentia.... In finitis ergo existentibus secundum principium et finem mediis, sequitur, *quod infinitum secundum principium resolvitur in id, quod est ante secundum principium, quod est omnino impossibile. — Impossibile autem ex hoc sequitur, quod causans causatum procedat in infinitum....*¹⁾ « Oportet ergo, quod aliquid sit primum efficiens et omnium, et primum movens et omnium »²⁾. Quum igitur cogitari nequeat nullam primam adesse causam, adsit revera necesse est. En ipsum illud Realistarum principium ratiocinationis, quod bene multos professo esse saepius vidimus. Argumentum *cosmologicum* hoc niti fundamento, quod sine Deo universum explicari nequeat, me haud immerito statuisse sequentia comprobant: « adhuc si causans causatum abit in infinitum, nec demonstrat, nec demonstratur »³⁾. Nihil demonstratur nisi primum quid adsit, ex quo ulterius progredi possit. Haec autem denuo totius ratiocinationis Realistam, ut ita dicam, indolem pulcre ostendunt. Supra enim monuimus

1) Opp. t. V. p. 534.

2) Ibid. p. 535.

3) Ibidem.

et hic in memoriam revocare prosit, Realistas, *proprio sensu* quandam causam effectum habere negare, et potius statuere ex aliquo principio exoriri sequelam? Sic omnia ad ideas, ad cogitationem omnia referuntur. Deus igitur magno iis est principio, e quo singula sequantur omnia. — Quamvis vocabulo *causa* utantur, nec tamen vocabuli notio retinetur.

Primum, deinde, illud fundamentum omnis demonstrationis ipsum, ex nihilo progressum esse nequit. Quodcumque enim ex nihilo procedat, potest esse ac non esse, *potentiâ* igitur adest. Quod *potentiâ* adest, atque nunquam fortasse existet, aliud quid tamquam existentiae causam habeat necesse est. Quodsi igitur omnium rerum principium in nihilo lateret, eo ipso primum principium esse non posset. Dicentes autem nihil esse ante primum illud, significamus nihil aut positive aut negative aut potentialiter tamquam prius, praeter illud primum, adesse. — Distinguit porro Albertus inter esse et essentiam. Homo, verbi causa, *essentia humana* a se ipso gaudet, neque ab alio quodam accepit; quod vero adsit, id repetendum videtur a primo, illo *esse*. „Omne quod habet esse et quod hoc est, ab alio habet esse, et quod hoc est. — Et haec ratio fundatur super quartam propositionem libri causarum, quae dicit, quod prima rerum creatarum est *esse*. Et eadem via probatur, quod esse est effectus primae causae in omnibus his, quae sunt” 1). Primum igitur quod principium primum efficit, dicitur *τὸ* esse. In Deo contra nullum est discrimen inter existentiam et essentiam; unde sequitur, Dei existentiam esse

1) *Summa theol.* P. I. t. XVII. p. 65.

necessariam; nam quum reliquarum rerum essentia sine existentia cogitari possit, eorum existentia accidens habetur. Simulac vero Deo essentia tribuitur, eum quoque esse dicas necesse est. Nam „adhuc non potest cogitari, quod esse simpliciter non sit ante non esse: quia quando cogitatur negatio, *statim cogitatur causata affirmatione*. Esse autem tale etiam supponitur ab eo, qui negat esse. Si enim quaeratur ab eo, quid neget quando dicit esse? respondebit, quod negat esse, et sic ponit esse, antequam negat esse. Primum ergo esse et simpliciter esse Dei solius est. Ergo non potest non esse” 1). Vides quam omnis argumentatio plane Realistam referat rationem. Ex eo quod logice sequitur, ad τὸ esse concluditur. Sic duodecim Deo tribuuntur qualitates, quae omnes e necessaria ejus existentia ducuntur. Non fieri potest: 1) Deum tantummodo esse potestatem corporalem, 2) Deum esse corpus: omne enim qualecumque corpus partibus constat, quae partes autem corporis existentiae conditio sunt. 3) Deum esse formam aut materiam; forma enim sine materia, neque haec sive illa existit, itaque altera ex altera pendet. 4) Dei essentiam atque existentiam non unum idemque esse. Neque ejus existentia, essentiae causa dicenda est. 5) Primum illud necessarium ex aliquo pendere, 6) in necessario illo relativum quid esse. 7) duo aut plura necessaria esse, 8) de primo illo aliquid praedicari, quod ejus existentiae accedat; quodcumque enim Deo tribuitur, Deus ipse est. 9) Deum mutari aut moveri. 10) Dualitatem aliquam ex primo illo oriri 11) existentiae necessariae, accedens quid aut notionem

1) Ibid. p. 68, 69.

tribuere substantiae; in omni enim qualicumque substantia, existentia ab essentia separari potest, omnisque species aut individuum non nisi per aliquid universale existit; primum autem principium „*genus generalissimum* est. 12) postremo loco non fieri potest summum principium non omnium dici finem, „et hoc est in ordine, quo omnia se habent ad ipsum, in hoc autem ordine supponitur, omnia existere in se ipsis, non enim se habet ad aliud, nisi quod existit in se ipso et sic non sequeretur, quod primum principium omnium secundum esse uniuscujuscusque eorum. Causa vero efficiens etiam principium est, — distincta vero, sicut artifex distinctus est ab artificiato 1).” Itaque aliis verbis Deus dicitur simplex, immutabilis, unus, causaque omnium. Quaeritur autem, si Deus ita omnis existentiae auctor habendus sit, ut aliquid *essentia* quidem, nec tamen sine eo *existentia* gaudere possit, quaeritur quodnam vinculum inter hanc Dei potestatem intercedat et hominis agendi libertatem. Neque ex mente Alberti haec quaestio facile solvi posse videtur. Optime enim vidit Albertus, quodsi omnia a Deo necessario fierent, nulla esse praemia bonorum nec poenas malorum. Deus enim necessarius, omnia debet necessario scire. Ut hanc tamen moralem tolleret difficultatem, subtilius quam verius distinxit Albertus inter „necessitatem consequentis” atque „necessitatem consequentiae” quam duplicem necessitatem non necessario unam esse contendit.

Haec vero distinctio omnino animadvertenda est, ut indolem simul atque vitium totius Alberti ratiocinati-

1) *De causis* etc., p. 540.

onis probe intelligamus. Hoc enim, si quid video, sibi vult Albertus: consequens necessarium est, cum ex aliquo praecedente, secundum illius praecedentis naturam sequitur, ut verbi causa, definitione data, definitum quoque positum est; consequentia vero necessaria est, cum tantummodo aliquid ei contrarium cogitari nequeat; quodsi, exempli gratia, aliquem quid facientem videam, id faciat ille, necesse est. Hoc praecedens igitur consequentiae tantum veluti conditio est; illud vero consequentis causa. Non ille homo aliquid fecit, *quoniam* ego eum facientem quid viderim; vidi contra quia fecerit. Itaque omniscientia divina melius Dei dicitur praescientia. Nonne autem vidit Albertus non sibi licere inter duplicem *necessitatem* ea ratione distinguere, quamvis ipsa distinctio per se probari posset. Nam duplex illa necessitas in Alberti doctrina revera non adest. Me vidisse aliquem quid facientem quia quid fecerit, non dico „consequentiae necessitatem,” sed multo magis consequentiam accidentem, sive conditionalem. Quodsi Deus humana facinora, bona an mala, cognoverit, quia homines egerint, Dei scientia pendet e facinoribus hominum, quam scientiam igitur, ut par est, conditionalem habeo. Facinora enim scientiae conditio sunt. Quum vero scientia conditionalis alicuius rei Deo tribuatur, accidens quid de Deo praedicatur. Aliquo autem accidente de Deo praedicato, omnis Dei essentia necessaria esse nequit. Deum necessarium esse contenderat Albertus. Ergo: aut Deus necessarius non est; quo prima cadat thesis necesse est; aut, cum necessarius sit, scientia conditionalis ei non tribuatur; sive: „non tantum consequentiae necessitas,” sed quoque „consequentis necessitas adest.” Vides nos haud immerito

scripsisse secundum Alberti doctrinam nullam esse libertatem; ubicumque enim reperitur „consequentis necessitas.” Principium nimirum sequelae non tantum conditio, sed et causa est.

Neque errare possumus, quum hoc sensu, ex mente Alberti, Deum causam dici accipiamus. Non enim dubitandum est, quin Albertus primam causam, principium quoque habeat „individuationis.” „Nam forma est universaliter et materialiter et simpliciter praehabens omnes formarum differentias, quae secundum materiae diversificantur differentias 1);” ita ut „diversitas materiae causet diversitatem formarum.” Quod tamen non ita intelligendum videtur, ut ipsa materia adversarum formarum causa sit habenda. Formae contra diversae sunt, tantummodo secundum materiae diversitatem; quo fit ut materia non per rationem materiae, principium sit „individuationis,” sed potius, per rationem proprii subjecti. Itaque Deus ipse diversitatis qualiscumque causa et auctor; ipse materiae diversissimas praebuit formas, quae inde magis magisque manifestae fiunt. — Omnia igitur ex primo principio necessario logice derivantur.

Quamvis longe absit ut Albertum *Magnum* pantheistam vocemus, non possumus tamen non animadvertere, eum quoque, mira quadam ratione probare, in Realium doctrina veram libertatem nullum prorsus obtinere locum. Ut in Nominalismo omnia nimis a se invicem separantur, omniaque singula, per se existentia habentur, sic in Realismo tam arctissimo omnia cohaerent vinculo, atque ita ad unum omnia referuntur principium, ut singula non nisi

1) *De nat. et or. an. tr. 1, 2.*

necessario atque per illud tantum existant principium. Nec tamen de Alberto aequum ferremus iudicium, nisi meritam ei tribuamus laudem, eum nova quadam, atque logica ratione illud, quo jam antea usi essent theologi, argumentum retulisse ¹⁾. In Alberto quoque, nisi egregie fallor, recentioris illius cernitur philosophiae indoles, quippe quae in omnibus referendis ad logicam unitatem maximopere versetur. Quin ita eandem fere ac philosophia nostri temporis, quae dicitur speculativa, rationem refert ut in Deo voluntatem esse primum principium neget, „nec operi proximum; primum enim et operi proximum, *in quo prima potentia est agendi*, est illud, quod dat formam operi, et non illud, quod jubet et praecipit opus fieri, lumen autem intellectus universaliter agentis est forma operis, opus determinans ad rationem et formam, voluntas autem non est principiens ut fiat.” Haec *omnino* animadvertamus, probeque teneamus oportet. Ita enim Deum necessarium esse ducit, ita quoad Realismi principium sibi constat, ut voluntatem in Deo primum esse neget; quodsi voluntas nimirum primum illud in Deo

1) His optime conveniunt quae pulere scripsit Imm. Berger: *Geschichte der Religionsphilosophie, caet. historisch dargestellt*, Berlin 1800. „Selbst Albert der Gr. machte sich um die Religionsphilosophie wohl grösstentheils blos dadurch verdient, dass er ihr eine für sein Zeitalter vollkommnere systematische Form gab, als sie bisher gehabt hatte. In Ansehung der Lehren selbst, beschäftigte er sich grösstentheils damit, die kirchlichen Lehren gegen die Aristotelischen, und die Aristotelischen gegen die Neuplatonischen zu vertheidigen, oder sie unter einander zu vereinigen. Dass er hierbei viel und mit vielem Scharfsinn gedacht hat, ist nicht zu verkennen. Doch dürfte wohl höchstens sein Versuch alle Eigenschaften Gottes aus dem Begriffe der nothwendigen ersten Ursache systematisch abzuleiten. einiges Verdienst der Neuheit, haben.”

habenda esset, fieri posset ut fortuita sit voluntas. Nul-
lum saltem reperitur; quod hanc voluntatem necessariam
esse efficiat. „Erit ergo intelligibile principium sicut
intellectus universaliter agens, quo est omnia facere, et
nihil pati vel recipere, — intellectus purus universaliter
agens, *qui ex se ipso constituit et producit et facit omne*,
quod est, propter quod dicitur illustrans super alia, et
non illustratus ab alio . . . 1).” Intellectus enim neces-
sario semper agit, secundum principia logica, i. e. neces-
saria; quum autem intellectus necessario agere desinit,
non amplius dicitur intellectus. Intellectus igitur ét agere
ét definita quadam ratione agere debet. Quid multa?
Necessario agere idque quidem necessario modo, conditio
est, sine qua non sit intellectus. — Omnis Alberti
doctrina tam arcte inter se cohaeret, ut quae ex principio
necessario secuta sunt, nunc quoque ex intellectu se-
quuntur. Universalis intellectus enim nunc tamquam
primum principium necessarium proponitur, sui ipsius
consciium. „Scit (ergo) omnia scibilia” quod sequitur
ex notione intellectus universalis, causae omnium. „Scit
se scire scibilia, intelligere intellectualia,” quod sequitur
ex primo principio sui conscio. Nam „scit se in ratione
primi principii, hoc autem est scire se ipsum principium,
ergo principium scit se ipsum, secundum quod ipsum
est.” Primum illud principium simplex habebat Alber-
tus, unde sequitur primum intellectum universalem quo-
que simplicem esse. Primi intellectus igitur scientia neque
universalis neque accidens est. Novam hanc primi prin-
cipii definitionem in Alberti doctrina, maximi revera

1) *De causis*, tract. II. c. 1. S. 541.

momenti ducimus. Quodsi enim illud principium non tantum necessarium, sed necessarius intellectus sit, patet per hanc necessitatem, veram libertatem non sublatam esse. Illum nimirum non liberum dicimus, qui in agendo ex alio pendeat, aut nullo sapienti ducatur principio. Deus autem neque ex alio pendet, neque in agendo sapientia caret. Nulla igitur Deo necessitas tribui posset, nisi necessitas illa, sine qua intelligenter agere nequeat. Juvat ipsa laudare verba, quae pulchre probabunt, id temporis nondum illam invaluisse rationem philosopham argumenti exponendi. „Agere et non agere est in primo, sed non potest non agere, quia melius emittere bonitates quam retinere, et minimum inconveniens in Deo est impossibile. Ex hoc etiam patet responsio adsequens: tali enim modo semper agere nobilissimum est, et multo nobilius, quam aliquando agere, aliquando non agere. Ex omnibus his colligitur, quod primum liberrimum est”¹⁾, Porro, non difficile est voluntatem divinam ita accipere, ut notioni intellectus plane conveniens sit. Deus enim proponitur tamquam radius emittens perpetuum, quem omnium rerum universale dicimus; radius nimirum est summi intellectus. Quaeque vero qualiscumque essentia individualis hujus intellectus, determinatio est, sive, ut eadem utamur imagine, radius est, ex primo illo radio procedens. Ex dictis autem cuique eluxisse puto, locum de creatione apud Albertum, *Alexandrinam* referre rationem debere. Quodsi nimirum quaeque essentia individualis, non nisi radius sit „luminis intelligentiae, universaliter agentis,” patet, creationem proprio sensu esse

1) *De causis* p. 548.

emanationem. Discedit enim ab Aristotele, ut dixit, quod mundum aeternum esse neget. Mundi aeternitas, procul dubio, notioni intellectus, quam exposuit, vehementer adversaretur. Sic optime se explicaturum fore putabat mundi creationem, omnia ex Deo effluxisse, ac veluti emanasse contendens. Ex primo igitur principio particularis oritur forma, sicut ex lumine procedit radius. Quod effluxit lux est intelligibilis, intellectus universaliter agentis. Intellectus autem ita universaliter agens non agit, nec constituit res, nisi active intelligendo et intelligentias emittendo; „et quia hoc modo intelligit, se ipso rem constituit, ad quam lumen intellectus terminatur” 1).

Demonstravimus, ut spero, quoad gravissima de Deo atque de mundi creatione placita, Albertum Realistam fuisse; satis superque diximus de vi, quam Realismus in eius theologia habuit; ad clarissimum Alberti transeamus discipulum, qui per longum temporis intervallum, Ecclesiam suo nomine implevit.

SECTIO III.

Sanctus Bonaventura.

Praestat vero, antequam de celeberrimis illis doctoribus Thoma Aquinate et Duns Scoto agamus, de alio aequali Alberti nonnulla monere, nempe de Johanne a Fidenza. Albertus enim, anno 1280, fato defunctus

1) Cf. ibid. p. 552—555 seq. 561.

est; Bonaventura autem anno 1274 diem obiit. Quam ob causam Johannes noster deinde appellatus sit Bonaventura, nobis tradit Hauréau ¹⁾, qui tamen hujus narrationis praedem fieri nolit. Johanne igitur puero aliquando aegrotante, mater ad altaria sese contulit, ibique preces fudit, ut in priorem valetudinem rediret filius. Domum redux, filioque in sanitatem restituto, exclamavit mater: „O bona ventura!” Inde, ut fert narratio, nominis origo, quod, cum proprium nomen fere obsoletum est, atque in oblivionem abiit, longe pluribus notissimum est. Neque indignus videtur, ut ejus memores simus. Non tantum enim, duobis fere saeculis post ejus obitum, sanctum eum declaravit Ecclesia, sed quoque funere ampliore elatus est, multique convenerunt ad exsequias cohonestandas. Sacris enim ejus funebribus adfuerunt papa Gregorius, Baudouinus II, Jacobus, *Aragonis* rex, *Antiochiae*, *Constantinopolis*que patriarchae, alique, ac eum mortuum laudavit, qui deinde papa fuit Innocentius V ²⁾. Nec tamen haec externa nos invitant, ut Bonaventuram commemoremus; patebit enim quanti in hujus aetatis theologia habendus sit, dummodo, quae supra verbo de *Franciscanorum* schola monuimus, in memoriam revocare liceat. Scholae nimjrum *Franciscanae* certus inest Mysticismus, qui numquam fortasse clarius in lucem prodiit, quam eo tempore, quo docuit Bonaventura. Quo fit, ut duae prorsus inter *Franciscanos* distingui possint scholae, quarum una magis philosopha, altera vero mystica dicitur; quarum una igitur Alex-

1) Vol. II. p. 228.

2) *Hist. litt.* t. XIX. p. 272.

andro *Halesio*, ac subinde *Scoto*, altera vero Bonaventura usa est magistro. Bonaventura enim, et qui eum secuti sunt, subtilius ita de rebus divinis disputare solebant ut, licet omnem prorsus abjecerint philosophiam, vel ipsis philosophis acutiores facti sint. Itaque Gersonis Mysticismo tantum explicari possunt laudes, quas in opere, quod est *de examine doctrinae*, Bonaventurae tribuit: „.... Bonaventura.... in dicendo solidus est, securus, pius, justus, devotus. Praeterea recedit a curiositate, non miscens positiones extraneas, vel doctrinas saeculares, dialecticas aut philosophicas....”; postremum illud sane verum est, nec tamen de Theologia bene meruisse videtur; quippe qui non ad veram viam reduxerit theologos; studuit enim „illuminationi intellectus”¹⁾ ejus, omnes retulit „ad pietatem et religiositatem affectus.” Neque eam tantummodo ob causam haec verba laudare volui, ut Bonaventuram probarem Mysticismo addictum fuisse. In primis nimirum id animadvertendum est, atque maximi momenti faciendum videtur, quod Ecclesia, hac aetate, nulli fere doctori favere potuerit, nisi plus minusve Mysticismam sequeretur rationem.

Quamvis igitur Bonaventura Mysticus habendus sit, atque, prae caeteris quidem *Franciscanis*, hanc Mysticismam retulerit rationem, non ita tamen scholam, cujus erat, deseruit, ut hujus scholae indoles non in eo quoque cerni possit. Infra enim, cum de celeberrima

1) Pulere Bouchitté Mysticismum illum philosophum dixit: „faire à la spontanéité de l'intelligence une part plus large qu'à ses autres facultés.”

illa pugna Thomam inter et Duns *Scotum* acturi simus, maximam partem in eo rei cardinem verti videbimus, quod contra *Thomistas*, *Franciscana* schola, Nominalismo in theologia favit. Non est quod hic uberius explicemus, quae deinde amplius indicanda erunt. Multo magis animadvertendum est, quemadmodum, se ipso fere invito, Bonaventura Christi mortem, ut e multis unum tantummodo mihi eligam exemplum, necessariam esse neget. Necesse est in antecessum dicamus, Bonaventuram libri sententiarum celeberrimum esse commentatorem. Neque umquam fere, in sua sententia exponenda, *Sententiarum* Magistrum deseruit; quo fit ut melius sit, *Lombardi* semper ratione habita, Bonaventurae explicare sententiam. Petrus *Lombardus* autem quaestionem, quae agit de Christi morte, ad tres imprimis retulit distinctiones¹⁾, sic sese habentes: 1) Si Christus meruit sibi et nobis, et quid sibi et nobis? 2) Qualiter a diabolo et a peccato nos redemit per mortem? 3) Quod alio modo potuit liberare hominem et quare potius isto? — Postrema vero distinctio Scholasticis, ut sponte apparet, maximi momenti esse debuit. Quaestio enim, quae est de „passionis efficacia” longe magis practica, illa vero quae de passionis congruentia agit, magis theoretica est, eamque ob causam magis idonea, quae speculative a Scholasticis tractaretur. Ut quaestionem de passionis congruentia rite solveret Bonaventura inquit: 1) An congruum fuerit naturam humanam a Deo reparari? 2) An magis congruerit, genus humanum reparari per satisfactionem, quam per aliam viam? 3) An aliqua pura creatura po-

1) Liber III. 18. 19. 20.

tuerit satisfacere pro toto genere humano? 4) An aliquis adjutus gratia potuisset satisfacere pro se ipso? 5) An Deus debuerit modum satisfaciendi per passionem Christi acceptare? 6) An alio modo potuerit Deus genus humanum salvare? Vides quanti momenti ultima quaestio sit, cui secundam fere similem habeo. Nec tamen piissimis verbis decipiamur. Quod ne fiat, praestat Bonaventurae verba veluti philosopha ratione interpretari. „An alio modo potuerit Deus genus humanum salvare?” haec igitur, si aliis, philosophis quidem verbis, reddere velimus, significant: an ex notione, quam de Deo habemus, sequitur necessario eum, eodem modo ac fecit, humanum genus salvaturum esse? Quaeritur itaque utrum ratio, qua, ut hominem salvaret, usus est Deus, ex ipsius Dei indole logice, seu necessario sequatur. En eam ipsam, si quid video, Bonaventurae quaestionem, quae non solum a Bonaventura, sed etiam ab omnibus Realistis ita proponi potest, atque non raro proponitur. Si quis enim a rebus in facto positis initium faciat, is continuo disquisitionem instituat necesse est, utrum Christi mors revera locum habuerit necne. Simulac vero historia eum doceat Christum mortuum esse, et quidem e cruce pendentem, verbo, omnibus, quae hac de re narrantur, ita sese habentibus; quum subinde aliunde ei constat, Christi mortis Deum esse auctorem sive causam, non amplius quaerit, utrum dira illa mors Dei voluntati, sapientiae aut amori congrua sit necne; at continuo cognoscet mundum non alio modo salvum fieri posse, ob simplicissimam causam, quod Deum ita voluisse censeat. Longe aliter vero procedit Realista. Omnes ideae, omnes notiones, apud eum, humano intellectui insitae, veritati respondent; quod quo-

que de Dei valeat notione necesse est. Quid igitur de Deo statuendum, quid rejiciendum a priori constat; omnibus neglectis rebus in facto positis. Quum igitur de Christi morte judicare velit Realista, an Deo digna sit, hanc mortem omniaque quae passus sit Christus, confert cum sua, quae est de Deo, notione. Quid huic notioni repugnet, id est, quid ex hac notione logice sequi nequeat, rejicit, quid sequatur omnino, probat. Itaque quaerit Bonaventura, utrum Dei justitiae, omnipotentiae, sapientiae, honori atque majestati salutis nostrae via conveniat. Nunc vero opus est ut probe animadvertamus, quibus verbis usus sit Bonaventura. Ad quaestionem „an magis congruerit, genus humanum reparari per satisfactionem, quam per aliam viam” affirmando respondet; nam quum justitia haud secus ac misericordia Deo tribuatur, utrique *maxime conveniens* est via satisfactionis; Dei honorem ab homine violatum, poenis solvendis restitui, *maxime conveniens* est. *Aptius* est denique hominem, bonis operibus perficiendis gratiam divinam recuperare, quam nihil omnino praestantem. — Quae vero contra disputari possint, facile a Bonaventura refelluntur, quae in dubium vocentur, facile tolluntur. „De duobus (autem) consuevit fieri satisfactio et requiri, videlicet de injuria et de damno.” Homo tamen non is est, qui de utroque satisfacere possit, „Nullus quantumvis gratia fulcitus potuit pro culpa actuali pro se ipso satisfacere satisfactione plena, damnum et injuriam complectente, sed neque semiplena pro originali. Impossibile ergo fuit, quod aliquis pro peccato originali alicuius hominis satisfaceret, nisi omnino a peccato originali mundus esset, nisi etiam haberet gra-

tiam communem, hoc est, gratiam capitis, cuius plenitudo nata est, in alios redundare, talis autem non potuit esse nisi homo et Deus. Concedendum est ergo, quod nullus adjutus gratia satisfacere potuit pro se ipso ¹⁾." At non tantum de satisfaciendo, sed quoque de modo satisfaciendi apud Bonaventuram constare videtur. Iterum teneamus verba: "dicendum quod modum istum (i. e. modus satisfaciendi per passionem) ultra ceteros modos debuit Deus acceptare, quia *nobilissimus* est inter omnes, qui possunt esse vel excogitari. Fuit enim *acceptissimus* ad placandum Deum, *congruentissimus* ad curandum morbum, *efficacissimus* ad attrahendum genus humanum, *prudenterissimus* ad expugnandum generis humani inimicum." Nullum fugere potest, Bonaventuram non absolute locutum esse; nec sine causa superlativis usum esse, quippe qui modum positivum aut comparativum nec negent neque excludant.

Ac, quod gravioris est momenti, hisce superlativis utens, veram sententiam dissimulare videtur; ita ut hujus loci omnino sit indicare, Bonaventuram, quamvis Mysticum, attamen, sicut *Franciscani* reliqui, peculiarem illum occupasse locum, quo, mira quadam ratione, Nominalismum in theologia sectatus sit. Quum enim a Bonaventura scire velimus, utrum revera satisfactionem, et hunc quidem satisfaciendi modum necessarium duxerit, responsum audiemus admodum ambiguum. Respondet nimirum duplicem esse rationem, qua de morte Christi judicare possimus. Nempe a parte Dei, nec non a parte hominis. A parte hominis, Christi mortem atque satis-

1) Bonaventurae *Opp.* Tom. V. Lugd. 1668, p. 216 sqq.

factionem per eam perpetrata, sine dubio necessariam fuisse dicit. A parte Dei vero non ita. Nec tamen video, quo modo Realistae vere liceat, hoc modo distinguere Deum inter et hominem. Secundum Realistas, si quid video, nequaquam obtinet ejusmodi discrimen. Leges enim intellectus humani verae aeternaeque sunt, ita ut, quod necessario cogitetur, adsit quoque necessario, oporteat. Cum igitur nostrae quidem, quam de Deo habemus, notioni congruum sit, ut ipse affirmare debuit Bonaventura, Deum „modum istum (satisfaciendi per passionem Christi) acceptare, (quippe qui) nobilissimus sit inter omnes, qui possunt esse vel excogitari;” debuit quoque Deus uti hoc satisfaciendi modo, nequo alio uti potuit. — At, quae revera sibi voluerit Bonaventura sequentia docent: „*potuit enim (genus humanum) liberari per viam misericordiae, nec in hoc fuisset factum praejudicium justitiae, si hoc facere voluisset. Potuisset enim omnia demerita delere, et hominem in priori statu restituere, nec remansisset aliquid inordinatum in universo, nec etiam impunitum. Si sine satisfactione genus humanum liberasset, non propter hoc contra justitiam fecisset. De liberatione enim firmiter credo, quod alio modo potuit liberari, de redemptione vero vel nego, nec audeo affirmare, quia temerarium est, cum de divina potentia agitur, terminum praefigurare ei* 1).” Haec veram Bonaventurae continere sententiam censeo 2);

1) Bonaventura, *ibid.* p. 218 sq.

2) „Daher zieht man sich, wenn die letzte Consequenz der Absoluten, im Wesen Gottes selbst gegründeten, Nothwendigkeit gezogen werden soll, in die absolute Voraussetzung der Unbegreiflichkeit Gottes zurück,” Baur, *l. l.* p. 229.

cuique vero fatendum est, haec anterioribus maximopere adversari, immo plane contraria esse. Nam, sine ambagibus jam dicere licet, Bonaventuram satisfactionem per Christi mortem, accidentem habuisse; quam tamen accidentem habere non potuerit, nisi de rebus divinis nobis cognitis, nominalistice sensisset. — Nec tamen haec monuisse sufficit; juvat quaerere utrum ad unumquodam principium, dissensionem Realistas inter et Nominalistas, quoad theologiam, referre liceat, unde eos in varias partes abiisse recte explicetur. Nec frustra quaerendum esse videtur. Id enim nos minime fugit, quod Albertus Magnus Deum non tam summam voluntatem, quam multo magis *summum intellectum* dicere maluerit. Bonaventura vero in primis Dei urget *voluntatem*. Primum illud principium, ut meminiscimus, apud illum, in Deo est intellectus.

Secundum Bonaventuram igitur, primum principium est *voluntas suprema*. Haec procul dubio maximi facio; haec enim optime inservire possunt ad Realismi et Nominalismi illustrandam rationem plane diversam. Quum enim Deus habeatur summus intellectus, omnia, ut supra vidimus, necessaria sunt, quae ipse procreavit Deus; quorum nimirum, si quid arbitrarium esset, summus intellectus non amplius eo nomine dici posset. Cum contra omnia e summa Dei voluntate pendeant, nulla est certitudo, nulla necessitas. Nequaquam mortalibus statuere licebit, quid summa voluntas peractura sit. Numquam nimirum aliquid peraget, quia hoc illudve suae naturae congruum est, sed tantummodo quia ita voluit. Quare ita voluerit, nos quidem latet. Semper enim „amplius potest (atque aliter) quam nos possumus cogitare.” Vi-

des nunc paullisper, quam arcte haec cohaereant cum infausta illa sententia, quam se ab Averrhoë accepisse crediderunt Scholastici: philosophiam sejungendam esse a theologia. Nam non opus est, ut diserte indicemus, illum philosophum, qui omnem Dei essentiam in voluntate habeat, veram notionem de Deo non docere. Nil sane, nostro quidem iudicio, aeternitati, bonitati, sanctitati que imprimis divinae adversatur, quam illud: Deus est ante omnia summa voluntas; quod mihi detis rogo, et infra lectoribus demonstratum dabo. A philosopho igitur non exspectandum videretur, quod de bono maloque, vera atque recta nobis proposuerit. Iterum iterumque tamen in memoriam revocemus, Bonaventuram, sicut reliquos *Franciscanos* Mysticismum sectatos esse, dum Averrhoë aurem praebuerint. Bonaventura saltem ex Hugone et Richardo *a sancto Victore* hausisse videtur. Nec minus quam hi, Realistica ratione in media theologia, de Deo rebusque divinis philosophatus est. Quod luculenter etiam ex sequentibus patebit. Bonaventuram enim omni verae de Dei sanctitate imprimis, notioni adversari vidimus. Quid? iisdem, quas admodum imbecilles reddidit, notionibus de bono maloque, omne ejus quod est de immortalitate, nititur argumentum; atque, sicut Realistae reliqui, ab existendi necessitate *logica*, ad veram concludit existentiam. Demonstrare nempe sibi vult, animum nostrum esse immortalem. Ut voti compos fieret, mirum est dictu, quemadmodum iisdem fere usus sit, ac quae multa post saecula retulerit magnus ille philosophus *Regiomontanus*. Nullum inquit „ bonum est irremuneratum, et nullum malum impunitum est apud eum, qui juste iudicat. Sed multa bona remanent irremunerata et

multa mala impunita secundum praesentem vitam. *Ergo est ponere aliam vitam quam hanc.* Sed haec non esset, nisi anima remaneret post corpus. Item ad divinam justitiam spectat, quod nihil bene et juste factum debet vergere in malum exitum. Sed secundum moralem philosophum et secundum legem divinam potius homo debet pati mortem, quam recedere a veritate vitae et a veritate justitiae”¹⁾. Quid, quaeso, luculentius esse possit, ut quod nobis volumus, recte indicetur. Nec multa requiruntur, ut nostram de Bonaventurae Realismo sententiam fulciamus. Paullisper enim secundum ea philosophemur, quae, initio, de Dei voluntate statuerit Bonaventura. Quum Deus revera ante omnia summa habendus sit voluntas, proprio sensu, Deo omnis qualiscumque natura abneganda est, ut infra quoque luculentius patebit. Quodsi tamen de Dei natura nihil omnino statuere nobis liceat, nescimus, opinor, utrum malos puniturus, bonis vero beneficia largiturus sit. Nescimus, utrum eodem ipso, quo apud nos, arcto vinculo bona facinora cum beatitudine conjuncta futura sint, necne. Nescimus tandem, utrum ullus universe virtutem inter et felicitatem obtineat nexus. De tali quidem nexu, nobis aliquid constare, diserte negamus. Nam saepe fit, ut boni pique dirissima lugeant fata, ut qui Dei obtemperant legibus, rebus quam maxime adversis premantur; saepe fit ut optima quaeque conamina vana et irrita evadant; ut strenuus proborum labor oleum operamque perdat; nec contra nos fugit, quantopere saepissime improbi prospere rem suam agant; quam se-

1) Bonav. in *Magistr.* L. II, dist. XIX, art. 11. 9. 1. Cf. Tenemann, l. l. p. 541 sqq.

cundis utantur rebus; quam dulce haud raro malis arri-
deat fortuna. Quid inde efficiendum? Deum bonos
semper prosperitatis participes fore noluisse; voluisse
contra malos prosperrima saepius gaudere fortuna.
Quid igitur statuendum sit de vinculo, quod virtu-
tem inter et felicitatem intercedat, plane ignoramus.
Quid? Minime ignari sumus. Fata enim mortalium ad-
spicientes, negemus *oportet*: „nullum (esse) bonum irre-
muneratum et nullum malum impunitum apud eum, qui
juste judicat”¹⁾. Nec temere negamus. Ita nempe
Deus voluntatem nobis revelaverit, ut omnia bona remu-
neranda esse, credere non liceat. Quodsi igitur Dei vo-
luntatis tantummodo rationem habeamus, Bonaventur-
rae argumentum, quod est pro immortalitate animi, cadat
necesse est. Haec vero cum vera sint, satis superque
indicant, Bonaventuram ea, quae de Dei voluntate
contenderat, jam nunc missa fecisse. Nunc enim Dei
naturae, justitiae inprimis rationem habet. Istiusmodi
ratiocinatio est: 1) Deus justus est. 2) Multa bona
irremunerata si maneant, Deo illiditur justo. 3) Multa
bona hisce in terris irremunerata sunt. 4) (Conclusio) Ali-
quando a Deo remunerentur, fas est. Accedit: 1) Deum
bona, procul dubio, remuneraturum esse. 2) Hac in mor-
taliū vita, numquam fere remunerari Deum. 3) Longe
aliam quandam vitam futuram esse, qua Deus sibi vin-
dicet justitiam. Quid multa? Manifestum est Bonaven-
turam, ut secundum Ecclesiam saperet, Nominalismum
reliquisse; in iis nimirum placitis, quae id temporis phi-
losophia ratione non demonstranda viderentur.

1) Vide supra.

Sed vereor ut, si nunc illa persequar, a proposito longius sit digrediendum. Ad haec enim redibo. Gestit animus ea, quae dixi, sive potius attigi, in clara luce ponere, ubi de notissima illa dissensione Thomam inter et Duns *Scotum* acturus sum. Haec tamen attigisse atque postea uberius explicare magni duco momenti. Nempe compertum mihi est, recentiora tempora, imo nostram etiam aetatem a studiis Realistis simul ac Nominalistis, quae apud Bonaventuram conjuncta reperimus, non prorsus alienam esse. Unum ex multis expromam exemplum. Inhaeret enim vitium idem Viro clarissimo, supra laudato, *Sécvétan*; quod universe confirmat, nihil esse tam novum et insolens, quod non apud antiquiores reperiatur. Non is sum equidem, qui de magnis, qui celebrantur, philosophiae progressibus quidquam detraham. Interdum tamen animadvertere liceat, in summis nostri temporis philosophis haud pauca inveniri, quae aliunde petita videantur. Dicam perspicue verbo. Ut primum principium, Dei intellectum esse Albertus *Magnus* docuit, quod Viro cl. Hegel ansam praebuisse videtur, ut nihil, nisi quod intellectualiter (sit venia verbo) existat, revera adesse statueret, eadem ratione *Sécvétan*, Bonaventuram, Duns *Scotum*, aliosque Scholae *Franciscanae* magistros, sibi elegisse putamus, summam nimirum voluntatem, omnium primum in Deo habens principium. Quum *Sécvétan* audiamus, quid bonum justumque sit, Deus non ex sua natura, sed multo magis ex sua voluntate id constituit. Quae homini perpetranda sint facinora, non aeternis legibus submisit moralibus, at vero summo Dei arbitrio. Nullus igitur dubito, quin Vir cl. hac in re saltem, Nomina-

lista dicendus sit. Attamen in eodem opere agit theologus noster de Trinitate. Num fortasse in hoc placito pertractando sibi constitit? Nolite mirari, si hac quoque in re Bonaventurae haud dissimilis fuit Séckrétan. Meminimus enim, quam supra memoravimus, Viri Cl. Séckrétan sententiam de Trinitate nullo fere nomine ab illa discedere, quam Richardum a *sáncto Victore* docuisse vidimus. Primo enim, professor *Lausannensis* Deo naturam tribuit; nempe dicit Deum esse summum amorem, quod tamen operis sui initio diserte negaverat; deinde ex natura amoris, divina Trinitas adsit necessarium ducit; nec sinit Deum, pro arbitrio, esse quod ex summae voluntatis decreto esse constituisset. Verum quid plura? Satis superque haec quae volebam adstruent. Cuivis, a partium alieno, verique studioso, facile atque luculenter, si quid est in me iudicii, patebit nonnumquam in theologia recentioris aetatis, quae dicitur speculativa, a Nominalismo initium fieri, ad Realismum vero, procedente ratiocinatione, transiri. Expediam paucis quid velim; nam magni ponderis habeo hac de re nonnulla, licet obiter monere, antequam in summos viros, qui ultimum hujus speciminis argumentum praebebunt, oculos convertamus. Nec juvabit sane omnia qualiacumque perquirere studia philosopha, omnia accurate cognoscere, variis saeculis, a viris doctis proposita, neque omnia nobis repraesentare proderit, quae, frustra fortasse, mortalium genus fatigaverint, ejusque vires exhauserint; parum meherecle operae pretium foret rudem illam indigestamque molem adire, quam philosophiam vocare solemus, nisi quatenus variae quotcumque sententiae, placita diversa, cum hominis universa indole, cum nostris quoque animo et studiis cohae-

reant, probe persentiscamus. Is enim ineptus, is taediosus mihi erit historicus, is perperam de philosophiae imprimis fati mihi dicet, qui, in philosophiae historia pertractanda, nec sui ipsius, neque universi generis humani rationem habeat. Non quaeritur, utrum haec disertis verbis expresserit necne. Itaque prosit, ex ipso homine quaerere causam, cur in theologia doctissimi quique viri longe aliam professi sint sententiam, quam in philosophia. Nonnumquam revera externas adfuisse causas, quae miram hanc sententiae mutationem, satis explicent, facile concedo, immo quis est qui neget? Nam quicumque vel obiter consuluerit Ecclesiae historiam, variasque perstrinxerit aetates, sibi, sine dubio, persuasum habebit Ecclesiae catholicae, dogmatis constituti auctoritatem hac in re saepius multum valuisse. Adest medium aevum, gravissimus testis. Ecclesia libros, qui dicebantur haeretici, urendos curans, longa atque perpetua synodorum serie, quid credendum, quid docendum esset, statuens, facile sane impedivit, quominus sententiae, quae doctrinae Ecclesiasticae detrimentum afferre potuissent, libere et palam docerentur. Neque est quod miremur praeclarissimos quoque viros Ecclesiae obtemperasse decretis. In ipsa historia, si ita dicere licet, *anachronismus* foret, quem vix aut ne vix quidem explicare possem, quum, medio aevo, illa jam gavisii essent libertate doctores, quae Ecclesiam errare posse facile agnoscat. Disciplinarum enim conditio id temporis ea fuisse videtur, ut, qui eas excolerent, religioso principio ducti, nihil adversus Ecclesiam statuere licere putarent. Nempe hoc sensu Christianismum omnium rerum ζύμην duxisse videntur, ut religionem disciplinis reliquis omnibus imperare de-

bere censerent. Theologos igitur medii aevi ad Ecclesiae doctrinam suam saepe mutasse sententiam, facile intelligimus. At vero, uti notum est, magna illa Augustinae stabula purgata sunt. Dispellebantur tenebrae, evanuerunt nebulae, lux orta est. Omnis Ecclesiae repellebatur auctoritas. Ipsi humano permittebatur ingenio, quid bonum, quid verum sit exponere. Ne sacro quidem codice, nonnulli utebantur tamquam auctoritate, ut fidei placita eo regnarentur; multo minus vero ut omnibus moderaretur disciplinis. Agnovit Ecclesia reformata, probeque tenuit, suum non esse, in hominum disciplinis regnandis versari; suum non adeo esse moderari ingenio, sed maxime cordi. Multa missa faciens, quae hominis intelligentiae, scientiae, disquisitioni permitti debeant, cordi imprimis consuluit, religiosamque in luce posuit veritatem ¹⁾. Vel sic tamen Theologi liberaliorem illam reformatorem rejecerunt institutionem. Per Ecclesiae synodos, decreta, placita, dogmatum increvit auctoritas. Libertatem enim pati non potuisse videntur. Constituta est denuo fidei norma, a qua si aliquo nomine discedas, — Vae tibi! — parum credo te verum Christianum esse. Ex hac nova fidei norma quid secutum sit, neminem latere potest. Denuo infringitur cogitandi libertas. Adest systema quoddam absolutum. Nulla dubia afferantur. Inde autem evenit, quod, si quis in philosophicis sententias fovisset, disquisitione acquisitas liberrima, eo tamen tendentes ut Theologiae constitutae adversaturae essent, in theologicis continuo diversis ute-

1) Non possumus non laudare quae hac de re cum eleganter tum docte scripsit Vir cl. Opzoomer in oratione cui titulus est: *het karakter der wetenschap*.

retur principiis; aliae adhiberentur sententiae, ne ab auctoritate constituta, a fidei norma nimis discederet theologus.

Videntur omnino theologi bene multi, licet hoc ipsos lateat, aliam in philosophicis profiteri sententiam, in theologicis aliam. Philosophiae liberae aurem praebent, nec metuunt eorum philosophiae adhibere principia, dum in formali parte cujusdam doctrinae versentur.

Proni autem saepius in systema aliquod constitutum ruunt, ubi de ipsius theologiae placitis materialibus sermo fiat. Quod *phaenomenon* mirabilius est, quam ut id non animo considerarem. Probat sane admodum difficile esse, ut universe, sic praesertim in Theologicis a partium studio cavere. Probat fortasse summa divinaque magis credenda esse, quam intelligenda. Impedit sane, quominus historicus nimis queratur de summis quoque Theologis, parum sibi constantibus. Impedit fortasse, quominus expectemus, Theologiam et Philosophiam brevi in gratiam reconciliatum iri. Nempe in philosophicis, parum eorum interesse videtur, ad quae perducatur docta aliqua disquisitio. Utrum, exempli gratia, universalia existant necne, indagare possumus, omnibus dimissis opinionibus praejudicatis. Non ita vero in theologicis res sese habet. Hic enim saepius certum consilium capere non possumus, nec post doctam disquisitionem religiosamque, in certa aliqua sententia consistere, quin multa quassentur, immo labefiant, quae ad pietatem vitamque practicam pertinere videntur, nec non cum intima animi conditione quam arcte cohaerent. Juvabit hinc quoque pulchra illa commemorare quae in eadem diatribe¹⁾, supra laudata,

1) *Het karakter der wetenschap*, cact.

disputavit Vir Cl. Opzomer. Omnem enim religionem scite refert maxime ad pectus, absque omnibus acute secernit disciplinis; eo eventu ut disciplinae liberae, pura religio fiat. In his autem lubens acquiesco; quoniam huius loci non est fortibus haec argumentis fulcire. Spero tamen fore ut opportunitas nobis detur, postquam de ultimis hujus periodi doctoribus egerimus, Viri clarissimi sententiam nostrumque assensum ulterius explicandi. Tunc enim videbimus, ultimos, qui dicuntur, Scholasticos, Guilielmum *Occamum* imprimis, animo quodammodo praesagivisse et praesensisse, quae nunc nobis volumus, quamvis, in his ulterius explicandis, quantopere erraverint, vix aut ne vix quidem dici possit. Huc igitur ut deinceps rite redeamus — rogo enim huic excursui benevole ignoscant lectores — oculos, ut supra diximus, in graves illos praeclarissimosque convertemus doctores, qui optime nobis indicabunt, quem exitum omnia habuerint studia Scholastica. Neque a veritate longius aberrante mihi videbor, si hanc, quae Thomam inter et Duns *Scotum* obtinuit, pugnam omnium unam idoneam duco ac dico, quae nos doceat, quodnam revera discrimen Nominalismum et Realismum a se invicem disjunxerit, tum etiam indicet, utrosque ad finem usque rationem, ut ita dicam, et institutionem peculiarem servasse. Aetas enim de qua nunc agimus, plane novam integramque refert indolem. Nempe ingenium humanum quantos saeculo tredecimo, sequentibus, in philosophicis progressus fecerit mirum est dictu. Unum, de quo jam vidimus, Albertum *Magnum* in memoriam, quaeso, revoces, quem cum Viro cl. Hegel comparare ausus sum. Non tantummodo singula placita, fundamenta, principia adeo Theologiae nunc in

censum venient. Reducetur quaestio ad illam, quam in omni recentioris aetatis Theologia vigere atque agitari videmus; quaestio nimirum gravissima cum de necessitate, tum de libertate rerum.

SECTIO VI.

Thomas Aquinas.

Anno 1322, Joannes XII, Papa sanctum declaravit virum, quem ante annos quadraginta sex episcopus damnaverat *Parisiensis*, nec non universitas *Oxoniensis*. Thomam *Aquinatem* significamus. Ab episcopo sequenti, ad Papae decretum, in honorem restituto ¹⁾, *Dominicani* in Conventu apud *Carcassonam*, 1342 ²⁾, decreverunt: „Cum praeclarissima Doctoris *Angelici* S. Thomae *Aquinatis* doctrina in toto orbe terrarum tamquam lux solis eluceat, et ut firmissima ac solidissima doctrinarum omnium a sede Apostolica, et a principibus Ecclesiae doctoribus cum testimonio Episcopi atque universitatis *Parisiensis* honorifice approbata fuerit, et divinis laudibus ornata: *imponimus lectoribus et studentibus*, ut spretis et postpositis vanis et curiosis ac frivolis doctrinis, quarum plurimae a veritate abducunt, ejusdem sanctissimi Doctoris doctrinae omnino dent ope-

1) Bulaeus T. IV. p. 204, d'Argentré, *de novis erroribus* T. I. p. 222.

2) Holstenii *codex Regularum* ed. Brockie IV. p. 114. Cf. Gieseler l. l. 355, 356.

ram, et assidue studeant, juxta quam quaestiones omnes et dubia determinant.” Quod laudavi testimonium, ut magnam, qua gavisus esse videtur Sanctus Doctor *Angelicus* probe ac luculenter illustrarem, neque pluribus opus esset ad satis superque indicandum, quanti nostra intersit summi viri theologiam, quoad summam rerum, accuratius indagare. Alberti *Magni* discipulus, nec tamen ex eo pependisse videtur; suus plane erat, et licet a magistro magnam accepisset doctrinae copiam, suo periculo ea usum fuisse Thomam, nullus facile negabit. Uti magister, Aristotelem insigni admiratione celebravit, neque ambiguum est eum id imprimis egisse, ut philosophiam inter et Theologiam desideratam stabiliret concordiam, optatamque componeret pacem. Minime dissimulat in Theologia multa esse, quae tirones facile perturbent. „Partim quidem propter multiplicationem inutilium quaestionum, articulorum et argumentorum partim quidem, quia eorundem frequens repetitio et fastidium et confusionem generabat in animis auditorum 1).” Sed fortasse reponat mihi aliquis, theologos saeculi tredecimi parum curasse illam, quam significamus, concordiam; adstruetque fortasse sententiam ipsa mea verba referens, ubi de vi, quam in hujus periodi doctrinam habuit Averrhoës, diserte egi. Habeo sane quod respondeam. Fateor omnino altera hac Scholasticae aetatis periodo, ut supra animadvertimus, acute distinxisse illos inter ea, quae in philosophicis, et quae in theologicis recenseantur. Nempe cum ab *Arabibus* i. e. ab iis, qui nec nomine Christiano, nec veritate Christiana

1) Thomas: *Summa theologiae*. Prologus.

gauderent, philosophiam Aristotelis instauratam acceperint huius temporis Scholastici, philosophiae principia nimis a theologia sejungere videbantur, quam ut eadem simplicitate, qua usi erant initio, nunc quoque ratione humana uterentur Doctores.

Haec tamen animadversa ansam mihi praebent in antecessum, ut par est, nonnulla dicere de iis, quae Thomae visa sunt, de vinculo theologiam inter et philosophiam statuenda. Ingeniose enim, si quid in me est iudicii, pro viribus *Charybdin* aequae ac *Scyllam* vitavit. Minime cum *Franciscanis* theologiam ita a philosophia divulsit, ut in utraque regnentur leges plane diversae; neque ad priscos sane Scholasticos rediit, qui per fidem ad intellectum pervenire posse putassent; nec magis Mysticorum contemplatio ei placuisse videtur. Ecquam igitur sibi monstravit viam? Eum ipsum paullisper audiamus de divina veritate disputantem. „Necessarium fuit ad humanam salutem, esse doctrinam quandam secundum revelationem divinam praeter philosophicas disciplinas, quae ratione humana investigantur.” Haec quodammodo cum humanae rationis, tum philosophicarum disquisitionum spirant contentum. Si vero haec ipsa cum animi attentione perlegas, animadvertes revelationem divinam necessariam fuisse „praeter philosophicas disciplinas.” Nihil igitur contra philosophiam revelatio statuere videtur. Si bene intelligimus, secundum Thomam, ratio humana non sufficiat. Nam illud „praeter philosophiam,” si quid video, plane convenit cum illo: „supra rationem.” Nec, Thomam audientibus, causae nobis in obscuro latent, cur hac peculiari patefactione humano generi opus sit. Nam, homo

„ordinatur ad Deum sicut ad quemdam finem;” „finem autem oportet esse praecognitum hominibus,” quippe qui ad hunc finem omnia informare debeant. „Unde necessarium fuit homini ad salutem, quod ei nota fierent quaedam per revelationem divinam, quae rationem humanam excedunt 1);” et sic porro vides quam omnia ad vitam practicam imprimis referantur; nec te fugit revelationem non necessariam dici, propter rationem humanam minus aptam ad divina cognoscenda, sed multo magis necessariam homini *ad salutem*. Nempe *finem*, ad quem nos creavit Deus „oportet esse praecognitum hominibus; ratio igitur humana non *per se* alia docet, quam theologia, sed nostrae imbecillitati consulit Dei patefactio. Si minus imbecilli fuisset, non tam peculiari opus fuisset revelatione; nam notanda omnino sunt sequentia. „Ad ea etiam, quae de Deo ratione humana investigari possunt, necessarium fuit, hominem instrui revelatione divina, quia veritas de Deo, per rationem investigata a paucis et per longum tempus,” cognosceretur, a qua tamen veritatis cognitione „dependet tota hominis salus, quae in Deo est 2).” Quid plura? Haec, quid sibi velit auctor, tam luculenter docent, ut vix aut ne vix quidem plura addere opus sit. Primo enim agnoscit auctor probeque intellexit nonnulla „de Deo ratione humana investigari” posse; addidit tamen ad haec quoque necessariam esse revelationem divinam. Non video quodnam, proprio sensu, discrimen, secun-

1) *Summa Theologiae*, P. I. Q. 1. art. 1.

2) *Ibidem*.

dum Thomam, revelationem inter et rationem reapse obtineat, nisi quod omnes facile concedant theologi. Ratio proponitur revelatione divina indigens, revelatio vero ipsius rationis adjutrix.

Ne profecto a Doctore *Angelico* saeculi tredecimi poscas, ut iisdem, quibus nos uti solemus verbis, tibi exponat, qua ratione sese habeat philosophia ad revelationem divinam. Hic non nisi vestigia occurrunt. Cernuntur conata. Quae quum ita sint, affirmare haud recusem, Thomam id quoque studuisse, ut magnam illam dissensionem, quam inter divina atque humana saepius ferebat Theologia, optimo modo, tolleret. Nempe ad ea tetendisse videtur quae nostra inprimi aetate, si quidem cl. viri mentem probe intelligamus, ulterius atque doctissime explicuit J. H. Scholten; quippe qui omnium unus id inprimis sibi agat, ut quid divinum sit, quid humanum, non per se sibi invicem contrarium esse, in clara luce ponat¹⁾. Quamquam invitis, ab his amplius indicandis nobis abstinendum est.

Quidquid sit, constat neminem Realismum reapse sectari dicendum esse, qui inter divina atque humana acute distinguat, neque in gratiam utraque reconciliare possit. Haec supra atque passim satis superque monstrasse mihi videor; ac opportunitas erit plura hac de re dicendi. Nonnulla tamen praemonenda visa sunt, quandoquidem in Thoma *Aquinate* maxima Realismi cernitur vis, quoad ipsa Theologiae fundamenta. Admodum vero difficile fuisset, hanc nobis vindicare sententiam, nisi de ratione

1) Liceat enim, veluti in transitu, hoc modo celeberrimi illius operis summam significare, quod jam supra laudavimus: *Leer der Hervormde kerk*, caet.

constitisset, qua vinculum revelationem inter et philosophiam Thomas proposuerit. Nunc tamen nullus dubito, quin facile omnibus explicandum videatur, in caeteris quoque Doctorem *Angelicum* verum hujus saeculi tredecimi nobis repraesentare Realistam. Nec temere hoc addo: „*hujus saeculi tredecimi.*” Nam id probe tenendum est, quod nisi fiat, omnis hujus aetatis vereor ne indoles ratioque nos fugiat, — probe tenendum est, tunc quidem plurimorum valuisse *auctoritatem*, ut Aristotelis, Averrhoëis totiusque *Arabum* philosophiae, nec non Alberti *Magni*. Hos igitur Realistis, priscis illis, dissimiles fuisse nominibus bene multis, non est quod valde miremur.

At vero ipsum virum adeamus; ponderemus quid de Christianae religionis summis argumentis ei visum fuerit. Ipse idemque nobis ordo nobis erit, quem secutus est Thomas. Scripsit enim: „Quia igitur principalis intentio hujus sacrae doctrinae est, Dei cognitionem tradere primo tractabimus de Deo, secundo de motu rationalis creaturae in Deum, tertio de Christo”¹⁾. Videmus quam arcte omnis inter se cohaereat Thomae theologia. Manifestum est omnia ad unum principium, ad Deum quidem, referri: „*Dei cognitionem tradere*” summa hujus doctrinae dicitur; anthropologia igitur, uti et Christologia non in censum veniunt, nisi quatenus ad Theologiam stricte sit dictam, pertineant: id est, quatenus homo ad Deum sese convertere conetur, nec non quatenus Christus homini in convertendo adjutori sit.

1) *Summa Theol.* Q. 2.

Quin, cum Thoma „considerabimus 1) ea, quae ad essentiam divinam pertinent, 2) ea, quae pertinent ad distinctionem personarum, 3) ea, quae pertinent ad processum creaturarum ab ipso.” Nempe haec distinctio plane ipsius Scholasticae methodi nobis refert indolem, quippe quae, non ut theologia, quae dicitur speculativa, recentioris aetatis, ex ipsa notione Dei omnia attributa explicare studeat, sed quae à priori sumpserit Deum esse trinitatem, deinde Deum creasse.

Silentio praetereamus quinque „vias” quibus Deum esse probari posse contendit Thomas. Nam „prima et manifestior via, quae sumitur a parte motus,” aliunde nobis nota, quum, licet aliis verbis expressum, prorsus idem referat argumentum, petitum ex vinculo caussam inter et effectum intercedente 1), quod deinde, in secunda „via” exponenda, ulterius explicatur dicendo: „remota..... caussa removetur effectus; ergo si non fuerit primum in caussis efficientibus, non erit ultimum nec medium.” Tertia autem via est sumpta ex possibili et necessario;” quam tamen ad primam quoque reducendam censeo. Non enim video quid intersit inter nexum causae et effectus, atque necessariii et accidentis. Ut effectus sine caussa, sic, secundum hoc saltem argumentum accidens sine necessario quodam cogitari neque explicari

1) Hisce plane conveniunt quae scripsit: *contra Gentiles* 25, 6; 8. „Naturaliter inest omnibus hominibus desiderium cognoscendi caussas..... Nec sistit inquisitio, quousque perveniatur ad primam caussam et tunc perfecte nos scire arbitramur, quando primam caussam cognoscimus. Desiderat igitur homo naturaliter cognoscere primam causam quasi ultimum finem. Prima autem omnium causa deus est. Est igitur ultimus finis hominis cognoscere deum.”

potest. Quarta autem via „sumitur ex gradibus, qui in rebus inveniuntur; quae tamen cum argumento ontologico maximam convenientiam habuisse videtur. Cum vero alia minus, magis bona pulcrave alia sint, „est igitur aliquid, quod est verissimum et optimum et nobilissimum et per consequens maxime ens.” Quae ultima verba quid significant, neminem sane latere potest, qui argumentum q. d. ontologicum cognitum habeat. — Quinta via sumitur ex gubernatione rerum; ad quam monstrandam usus est Thomas argumento cum cosmologico, tum teleologico. Videmus enim, quod aliqua, quae cognitione carent, scilicet corpora naturalia, operantur propter finem;..... operantur ut id consequantur quod est optimum. Ergo est aliquid intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur ad finem et hoc dicimus Deum¹⁾.” Vides haec argumenta omnia nihil novi continere²⁾; neque ambiguum est omnia singula Realismi referre indolem. Post multa, data opportunitate, jam saepius a nobis animadversa, non opus esse, ut diserte de hisce argumentis iudicium feramus, quisque facile concedet. — Quin adeo mihi displicent, ut longius in iis occupatum esse me taedeat. Ordinem igitur propositum sequamur, ipsamque Dei essentiam ani-

1) *Summa Theol.* P. I. Q. 2. art. 3.

2) Putamus tamen immerito universe scripsisse Hauréau (Tom. II. p. 101): „Il n’y a pas de digressions dans ses commentaires; il suit pas à pas le texte d’Aristote, met en relief les mots significatifs de chaque phrase et les explique avec le secours d’Alexandre d’Aphrodise, de Philopon et des Arabes, mais sans jamais traiter en son nom aucune des questions qui agitent l’école.” Quae etsi de Thoma Philosopho vera essent, tamen procul dubio non valent de Theologo.

mo consideremus. Ex dictis jam satis superque apparet, Dei essentiam tum esse necessariam cum intelligentem, quod notetis velim. Summi enim, ut supra verbo monuimus, nobis momenti est in omnibus theologicis a Thoma *Aquinate* expositis, illa ante omnia quaerere, quae ad rerum spectent necessitatem. Realismi nimirum nota tamquam characteristica haec est: res necessario esse, sive, ut barbara voce utar, res objective cogitari debere.

Quae quum probe teneamus, animadvertendum erit, quemadmodum universe sibi constiterit Thomas. Non enim illa, quae memoravimus, attulit argumenta, ut ex iis pendeat Dei existentia; diserte affirmat: „haec propositio, Deus est, *per se nota est*, quia praedicatum est idem cum subiecto.” Demonstrandi vero causa latet in eo quod „nos non scimus de Deo, quid est, non est nobis per se nota (haec propositio), sed *indiget demonstrari* per ea, quae sunt magis nota quoad nos”¹⁾. Itaque Deum esse, propositio habetur per se nota; quod ex mente Thomae facile intelligitur. Primum enim de Dei essentia summa praedicatur „immaterialitas.” Immaterialitas autem sic explicatur ut sit „alicuius rei ratio, quod sit cognoscitiva.” Addit tamen: „secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis.” Atque haec quidem addere debuit; ab his enim ulterius procedit, nam „cum Deus,” inquit, „sit in summo immaterialitatis sequitur, quod ipse sit in summo cognitionis.” Unde denuo sequitur: „quod ipsum ejus intelligere sit ejus essentia et ejus esse.” Haec autem sententia duo

1) *Summa Theol.* I. Q. 2. art. 1.

nos docet. Primum quidem Deum esse summum intellectum, deinde vero „ejus essentiam et ejus esse” prorsus unum dici idemque. Quae tamen duo ita coniunguntur ut Deus „nihil potentialitatis” habeat. Nam ubi essentiam inter et existentiam distinguatur, haec potentialiter in illa latet. Essentia de aliquo praedicari potest, etiamsi ejusdem existentia negetur. Essentialiter igitur quodammodo idem dicitur ac potentialiter esse. E qua tamen essentia, non sequitur existentia. Nempe hoc inprimis essentiae sive existendi potentiae proprium est, ut simul in existentiam transire possit et nequeat. Omne quaecunque, in quo distinguatur existentiam inter et essentiam, accidens, i. e. non necessarium dicitur. Cum vero Deus sit summus intellectus, non potest quin etiam necessarius sit. Itaque, non „aliud in eo essentia, quam suum esse, sua igitur essentia est suum esse.” At quisvis „nihil potentialitatis habet,” est „purus actus.” En, Deum esse *purum actum*, ipsum illud est, in quo, secundum Thomae doctrinam de Deo, cardo rei vertitur. Id inprimis urgendum videtur; nec mihi videris, quid sibi velit Thomas, probe intelligere, neque ex aequo eum aestumare, nisi id urgeas. Quod enim nullum omnino esse discrimen docuerit inter essentiam et existentiam, non est quod insignes ei tribuamus laudes. Nempe Albertum *Magnum*, ante eum, idem docuisse vidimus. — Attamen in Alberti *Magni* doctrina causam desideravimus, ob quam intellectus ad agendum transeat; meminimus *doctrina emanationis* ei opus fuisse, ut ex summo intellectu universum creatum explicaretur. Quaeque nimirum universalia radios habebat „luminis intelligentiae, universaliter agentis. Ipsius vero Thomae

est Deum non tantum summum dixisse intellectum, sed etiam purum actum. Nec sane nos latet, qua potius ratione hunc fecerit progressum. Albertus *Magnus* enim jam distinguebat inter essentiam et esse, Thomas vero, prout nobis notum est, hac distinctione ita usus est, ut simulac "Deum nihil potentialitatis" habere, probe indicaverit. Deo igitur puro actu habito, non amplius quaeri potest, utrum summus intellectus creaturus sit, nec quam ob causam ad creandum sive agendum transiturus. Nam vel ipsa ea Dei natura est agere; non tantum nihil impedit quominus agat; sed et ipsa ejus natura, nisi agat, plane tollitur. Vides nunc quemadmodum omnia Thomae argumenta, quae in medium contulit pro Dei existentia, licet *per se* non magni facienda sint, huic sententiae: *Deum esse purum actum*, quam optime conveniant. Nam in omnibus illis plus minusve animadvertitur argumentum unum, quod ex vinculo causam inter et effectum petatur. Huic addas, Thomam cum Albertum, tum etiam Aristotelem esse secutum, nec difficile intellectu erit, Deum a Doctore *Angelico* consideratum fuisse, tamquam *primum Movens*." "Movere (autem) nihil aliud est, quam educere aliquid de potentia in actum." Primum movens verum esse nequit, quin et sese ipse et res extra se "de potentia educat in actum." Itaque sese ipse semper movens, i. e. sese ipse semper "educens in actum," actus purus sit Deus *necesse* est.

Nunc vero jungamus notionem intelligendi cum notione agendi. Nam videri posset aliud esse, Deum dici summum intellectum, aliud purum actum. Quae si revera inter se differant, intelligentia quodammodo in

Deo esset potentialis, esset essentia, ideoque inter essentiam et ejus esse obtineret discrimen. Haec tamen inter se non differunt. Diserte ac scite docet Thomas, quid hac de re sentiendum sit. „Intelligere est perfectio et actus intelligentis. Intelligere,” hoc in primis notetur, in qua ratiocinationis culmen mihi est, „non est *actio progrediens ad aliquid extrinsecus*, sed manet in operante, sicut actio et perfectio ejus, prout esse est perfectio existentis.” Minime igitur intelligere in Deo aliud est, aliud agere; nam plane unum idemque sunt. Ut eam ob causam purus dicitur actus, quod sese ipse moveat, continuo ac constanter „de potentia sese educat in actum,” eandem ob causam summus habetur intellectus, quod intelligere sit actio, (quae) manet in operante, sicut actio et perfectio ejus.” Videmus non temere Deum dici actum purum; quod nimirum si cum notione summi intellectus conjungimus, consequimur, quod a philosophis recentioribus dicitur: sui ipsius conscientiam ¹⁾). Nunc autem in eo sumus ut mentem Thomae capiamus. Nam quae sequuntur *maximi* sunt momenti. Addit: „intelligere sequitur speciem intelligibilem.” Ex mente Thomae, haec verba egregie adduntur. Ex his enim patet, (utinam mihi contingat, quid mihi velim, non peiori Latinate expedire!) — ex his, dico, patet in intelligendo τὸ esse divinum sui ipsius conscium fieri, cum scilicet ea significatione vocem *intelligere* sumas, ut sit „actio movens in operante.” Teneamus vero intelligere sequi speciem intelligibilem. Quid inde efficimus? Efficimus in Deo nullam esse formam „quae sit aliud quam suum esse.”

1) Ut nos dicimus: *zelfbewustzijn*.

Itaque: 1) Intelligere non est actio progrediens ad aliquid extrinsecus; 2) Intelligere sequitur speciem intelligibilem; Ergo: 3) „in Deo non est forma, quae sit aliud quam suum esse.” Haec omnia praemittere Thomae opus erat ut statueret, quae nunc laudaturus sum: „... in Deo intellectus intelligens, et id quod intelligitur, et species intelligibilis et ipsum intelligere, sunt omnino unum et idem. Unde patet, per hoc, quod Deus dicitur intelligens, nulla multiplicitas ponitur in ejus substantia”¹⁾.

Omnia nunc missa facientes, concludimus: Deum esse simplicem; atque quidem quia ejus intelligere et ejus esse unum idemque sunt;

Quatenus igitur se ipse intelligat, ipse est;

„Cum Deus sit causa rerum *per suam scientiam*, in tantum se extendit scientia Dei, in quantum se extendit ejus causalitas”²⁾.

Quaeritur autem: „in quantum se (extendat) ejus causalitas”? Cui quaestioni, ut accurate de Dei essentia verba faciat, respondere debet Thomas. Nam neminem latere potest, hinc multas exoriri difficultates. Quaestionem enim aliis quoque verbis exprimere liceat. Sic enim: „in quantum se extendit scientia Dei”? Quam deinde simpliciore reddere possumus dicendo: Num Deus scit contingentia, num Deus scit malum? Nam, quae necessario a Deo procedant, haec etiam Deum intelligere sponte apparet. De iis igitur non quaerimus. Dicam perspicue verbo: Cum intelligere non sit actio progrediens ad ali-

1) P. I. Q. 14. art. 1. 2. 3. 4.

2) Ibid. art. 11.

quid extrinsecus, — deinde, cum contingentia et malum negari nequeant, quaeritur utrum malum (ut hoc tantum urgeam) necessario quoque a Deo procedat. Quod si fiat, ex uno Deo cum bonum tum malum procederet, duo igitur plane sibi invicem adversantia, quod absurdum est. Quod si non fiat, Deus *aut* malum non intelligit, *aut* ejus intelligentia reapse „actio (est), progrediens ad aliquid *extrinsecus*.

Haec tamen antequam ulterius persequamur, animadvertendum est, dicta quam arctissime cohaerere cum quaestione, quae est de voluntate Dei; de qua igitur in antecessum nobis, quamvis paucis, videndum est. Admodum perspicua sunt, quae hac de re tradidit Doctor noster *Angelicus*. „Voluntas divina necessariam habitudinem habet ad bonitatem suam, quae est proprium ejus objectum. Unde bonitatem suam esse, Deus ex necessitate vult, sicut et voluntas nostra ex necessitate vult beatitudinem”¹⁾. Deinde: „Cum igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, respectu illorum, quae non ex necessitate vult, liberum arbitrium habet”²⁾. Nunc, credo, omnia dubia sublata. Docemur enim puri actus primum effectum esse voluntatem; hujusce voluntatis primum effectum esse bonitatem. Actus purus non tantum necessario vult, sed etiam necessario vult bonitatem. Nam „sicut suum intelligere est suum esse, ita suum velle.” Nempe, suum velle, est suam bonitatem esse; suum esse idem dicitur ac suum bonum esse, igitur suum velle est suum esse. Unde conficimus, *velle*, in Deo, idem haberi ac *esse*.

1) Ibid. Q. 19. art. 3.

2) Ibid. art. 10.

His vero animadversis, operae pretium fere non est ad ea redire, quae supra disputavi. Etiam si de natura mali nihil omnino monuisset ipse Thomas, ex definitione voluntatis divinae, nostro quoque periculo, liceret conficere, qua ratione respondendum sit quaestioni, supra agitatae. Cum vero ipse monuerit, praestat ipsius referre verba. „... Esse et perfectio cuiuscumque naturae rationem habet bonitatis. Unde non potest esse, quod malum significet quoddam esse, aut quandam naturam aut formam. Relinquitur ergo, quod nomine mali significetur *quaedam absentia boni*, et pro tanto dicatur, *quod malum neque est existens nec bonum*”¹⁾. Quid plura? Constat, malum nihil esse nisi negativum quid. Nempe ut positivum adsit, negativum desiderari nequit; quin, secundum Thomam, vel ipsa universi perfectio *requirit*, „ut non solum sint entia incorruptibilia, sed etiam corruptibilia;.... ut sint quaedam, quae a bonitate deficere possint”²⁾. Mirum est dictu, quantam haec similitudinem habeant cum nonnullis effatis *Scoti Erigenae*, qui, pro tempore saltem, quo floruit, optime universe Realium in theologicis explicuit sententiam. Haec vero hactenus. Sed huic, quam illustrare studuimus, doctrinae de malo egregie conveniunt, quae ipsi Thomae de rebus contingentibus visa sunt. „Deus cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso”³⁾. Vides quam arcte haec cum anterioribus cohaereant;

1) P. I. Q. 48. art. 1.

2) Ibid. art. 2.

3) Q. 14. art. 13.

ne haec quidem statuisset, nisi de illis talem, qualem vidimus, professus fuisset sententiam. Deus igitur contingentia cognoscens, non tamen — libere enim dicam quod sentio — non tamen ea cognoscit prouti sunt. Reapse nimirum sibi invicem succedunt; Deus vero „non successive cognoscit contingentia”¹⁾. Nobis quidem videntur esse *in tempore*; „aeternitas autem tota simul existens ambit totum tempus”²⁾. Ex his tamen, si quid est in me iudicii, summo iure conficio contingentia, sicut malum, non revera adesse. Nam Deus ea cognoscit talia, qualia nobis saltem esse non videantur.

Haec autem optatam nobis praebent opportunitatem pauca lectoribus proponendi de vinculo, quod intercedat Realismum inter et doctrinam universam de malo morali. Ut apud *Scotum Erigenam*, sic imprimis apud *Thomam Aquinatem* malum morale non ex aequo aestumari quis est qui neget? Nec sane est quod valde miremur. Juvabit tamen, accurate, pro viribus, causas exponere, quas hic imprimis in censum venire duco. Quod eo majoris momenti videtur, quo recentioribus temporibus, quin, nostra quoque aetate, Viros doctos in eadem quaestione solvenda occupatos videmus, ut cuivis satis superque notum est.

Vult homo cognoscere hominem et rerum universitatem. Se cognoscere non putat, nisi quoque intelligit. Non intelligit nisi omnia satis explicare potest, neque omnia explicantur, nisi omnium causae in clara luce ponantur. „Naturaliter inest omnibus hominibus desiderium co-

1) Ibidem.

2) Ibidem.

gnosendi causas;" ut Thomas scripsit, Aristotelis verba secutus. Intelligere igitur est cognoscere vinculum, quod singulas causas inter atque effectus singulos obtineat. Desiderium vero illud naturale non reperiretur, nisi homo se aliquando intellecturum, sive causas cogniturum esse speraret. Quam autem spem homo favere nequit, nisi de humanae rationis facultate, vi atque auctoritate satis ei constet. De his tamen nulli constat, qui, ut Nominalista, — de mundo nimirum invisibili nunc sermo est, — omnem humanae rationis vim desperans, "naturale illud desiderium" deprimere videtur. Realista, contra, studens rerum moralium cognoscere causas, i. e. explicare mundum morale, non temere dicit Deum summum intellectum. Quum ipse logicam illam cogitandi facultatem sibi tribuat, atque eam glorietur, non potest non eandem praedicare de Summo Numine. Quamvis non omnes ad haec perspicue explicanda pervenerint Realistae, neque illi, qui ad nostram quoque aetatem eandem sequantur sententiam, constanter id ante oculos habuisse videantur, notionis tamen Dei Realistarum universa ratio est, quod Deum imprimis intelligentem habeant, licet attributis Dei reliquis non plane neglectis. Ubi e. g. de mundi creatione, deque singulari providentia, nec non de auxilio, quod mortalibus suppeditat Deus, quaerunt, id imprimis agunt, ut rationale esse i. e. hominis rationi congruum demonstrent, Deum creasse mundum, hominemque imbecillitati consuluisse atque consulere. Fatendum videtur in plerisque, voti compotes fieri, qui hoc studio ducantur. Pleraque enim, eorum saltem iudicio, in rerum universitate rationalia sunt; pleraque deinde ex Deo, i. e. ex

summi Dei essentia atque existentia optime explicanda iis visa sunt. Plerumque — juvabit enim praecipua tantummodo attingere, quae philosophia agitavit, agitataque, — plerumque in rerum moralium universitate explicanda hoc difficillimum erit, ut dissensio tollatur, quae cernitur divina inter et humana. Nempe haec sibi invicem non raro adversantia, a vero philosopho secum reconciliari debent. Attamen nunc non quaerimus, utrum universe philosophis id contigerit necne. Pugna autem, quam significo, neutiquam evidentior nec difficilior, quae derimatur, quam in gravissima illa quaestione, quae est de malo morali. Quin, praeter hanc, nullam adeo magni ponderis facimus. Hac enim probe soluta, omnes facile praetermittimus. Quaestio admodum vetustissima est; jam apud antiquos quaerebatur: *πόθεν τὸ κακόν*, atque frustra quaesitum esse videtur. Quaestio de malo reapse duplex est; nempe: Unde malum? Quorsum malum?

Neminem latet, qua de caussa haec quaestio gravissima sit aequae ac difficillima. Nam, id quod summus philosophus Hegel totidem verbis luculenter expressit, nihil omnino reapse existere, nisi quod logice locum sibi vindicare possit, a Realistis omnibus plus minusve, clarior sive obscurior sumitur; atque eo utuntur, tamquam omnis fere ratiocinationis, omnisque philosophiae principio, fundamento. Vide autem, quam vehementer haec se invicem impugnent: Deus, summus intellectus, est summa bonitas. Malum morale omnibus mortalibus inest, maximoque damno generi humano evadit. Summa bonitas perfectionem moralem requirit. Malum morale plane contrarium postulat. Equis nobis erit, qui inter haec optatam componat pacem? Gravissimam esse

difficultatem quisque agnoscit. Hinc philosophia, hinc theologia, hinc longa ac perpetua diversorum series placitorum, ab his magno cum gaudio saluatorum, contemptius reietorum ab illis; hinc rudis indigestaque sententiarum moles, quae acutissimi humani ingenii inania nobis refert conamina ad hanc difficultatem tollendam. Hic magnus nobis est philosophus, ingenii acumine insignis, qui post continuos annos multumque laborem, fere insipiens videtur alteri philosopho illi, eodem litterarum amore imbuto, perque tot annos philosophiae operam navanti.

Sunt tamen, quos non eadem premere videtur difficultas. Composuerunt pacem adhuc desideratam; atque systema nobis suppeditant quoddam absolutum, per quod malum illud morale omnium rerum harmoniam atque convenientiam non amplius disturbat, nec rumpit. Istiusmodi systema Thomae est. Malum, ut vidimus, idcirco adesse dicit, quia „perfectio universi requirit, ut non solum sint entia incorruptibilia, sed etiam corruptibilia. . . . In hoc enim consistet ratio mali, ut scilicet aliquid deficiat a bono. . . . Unde non potest esse, quod malum significet quoddam *esse*, aut quandam naturam aut formam 1)“

Confidenter quaero, utrum qui talia dictitent, quaestionem solvisse dicendi sint. Quo difficiliore genus humanum premitur difficultate, eo magis mihi quaerenti, negando respondendum est. Quod equidem non temere dico. Duplex est causa, eaque gravissima. Utraque respondet singulis Thomae argumentis, modo commemoratis. — 1) Malum morale, non „*significat quoddam*

1) Vide supra.

esse;" 2) deinde perfectio universi requirit, ut aliquid deficiat a bono. In priori quidem argumento rei cardo vertere videtur; posterius tamen adeo falsissimum est, ut dignum sit, quod a nobis singulatim animo consideretur, deinde quantopere falsum sit lucide quamvis breviter indicetur.

"Malum non significat quoddam esse." Haec sententia quid sibi velit latere nequit. Summi intellectus voluntatem "necessariam habitudinem habere" audivimus ad bonitatem. Bonitas igitur necessaria, sive necessario est. Quum autem omnia quae adsunt, necessario ex intellectu procedant, quoque bona sint necesse est. Si vero mala non necessaria sint; idque tantum, quod *necessarium* est reapse sit; sequitur malum, tamquam non necessarium, non esse. Minime, fundamento plane opposito nitens, hanc impugnabo sententiam; quod quum facerem in qualicumque argumento nihil omnino probare mihi viderer. Eadem, ac Realistae, philosopha atque logica procedamus ratione. Malum igitur non est. Duplici modo non adesse potest. Malum aut causam, aut nullam omnino causam habet. A posteriori initium faciamus. Quod causam non habet, me quidem iudice, per se existit, sive absolutum est. Malum tamen non est, ergo absolutum esse nequit. Non esse vero atque, ut vidimus, non necessarium esse plane unum idemque est. Quod malum dicatur non esse, significat malum non necessario esse. Non necessario esse sibi vult contingens esse. Malum quatenus causam non habeat, absolutum dicitur, quatenus non necessario sit, contingens. Unde conficimus, malum esse absolutum contingens. His autem duae continentur notiones, plane sibi invicem adversantes. Quid absolutum

sit, quid contingens probe intelligimus. Quid vero utramque notionem jungens tibi velis, equidem saltem, pro imbecillo meo ingenio, me nescire libere confiteor. Prius nunc sumamus; nempe malum causam habere. Malum cum non necessariam sit, i. e. contingens, contingentem quoque habeat causam necesse est. Hujus causae fortasse alia causa est, ita ut causarum contingentium contingentis mali infinita sit series. Vel si infinita causarum est series, numquam in iis ullam reperies nisi contingentem. Nam ex necessario contingentis quid procedere nequit. Mali igitur causa quaedam est suprema, sed tamen contingens. Causa vero suprema per se existit; causam non habet; ergo denuo absoluta est; quum vero neges eam esse necessariam, causam sumas necesse est absolutam contingentem; quod, ut vidimus, absurdum est. Malum igitur non significans „quoddam esse,” *nihil omnino significat*. Quamvis fortasse Thomas, aequae ac alius quis Realista, huic sententiae, ita libere professae, nomen dare recuset, idem tamen iis statuendum est; statuuntque reapse. Malum plane negare non ausi, vel sic quidem malo veram non tribuunt significationem. Malum morale, apud eos, nil nisi privatio, negatio boni est; eo sensu ut malum morale non sit positivi quid, error positivus hominis Deo inimici, sed tantummodo absentia boni. Sicut luce desiderata, tenebrae fiunt, etiam, bono sublato, malum oritur. Haec quidem partim vera esse, quis est qui neget? Malum revera boni esse negationem, absentiam, luce clarius est, ac quisque facile concedet. Quae qui tamen affirmat, non *planam* mali notionem indicasse mihi videbitur. Exemplum in promptu est, quod ad commune iudicium nimis fortasse accommodatum, ne Viros doctos

offendat iterum iterumque rogo. In bestia igitur nulla, me hercle, est bonitas moralis. An idcirco fortasse bestiae malum morale inesse habeo? Quidni? Omne quodcumque bonum desideratur. Itaque boni privatio negari nequit. Attamen fere ridiculus mihi est, qui bestiam hanc ob causam malam esse iudicet. Quare? quia, ubi morale principium desideratur, vitium esse nequit. Quid inde conficio? Malum non tantummodo esse certam quandam animi conditionem, bonitate orbatam, sed esse actum hominis morali principio, quo praeditus est, non usi. A bestia quidem non poscam ut morali utatur principio, quo sane non gaudet. Hominem tamen vitupero, malum perpetrantem, non tam eam ob causam quod, quae debisset, non fecerit: sed quod, quae facere potuisset, neglexerit. Malum igitur homini vitio, culpa est.

Haec vero quominus ulterius explicemus, impedit indoles huius speciminis et ratio; quae tamen praetermittere nolui, ne ejus turpiter inscius videar, quod in hac parte Anthropologiae, e Realium principio sequi debeat. Quicumque enim ab universali initium faciat, mali veram notionem missam faciat necesse est. — Malum nimirum perquam individuum est; quin actus est ipsius individui contra omnium rerum harmoniam, sive concordiam. Malum morale, si quid video, oritur ex jure quodam, quod immerito sibi vindicet individuum adversus rerum universitatem. Bonum morale revera est pulcher rerum ordo, omniumque convenientia. Malum igitur non *absentia*, sed *perturbatio ordinis*¹⁾. En tandem, acu rem

1) Cf. Thilo, *die Wissenschaftlichkeit der modernen speculativen Theologie*, de Spinozae definitione „*determinatio est negatio*“ egregie disputans.

tetigisse mihi videor; spero enim fore ut discrimen cuiusvis admodum perspicuum sit. Vides autem, quemadmodum usitata illa, immo obsoletior comparatio mali cum tenebris vehementer claudicet. Tenebrae nimirum lucis absentia reapse dicuntur. Malum vero, ut lucis imaginem retineamus, est ipsi luci caliginem offundere. Coelum grave sordidis nubibus, en rerum universitatis imaginem habes, malo morali turbatam.

Videamus de altero argumento. „Perfectio universi requirit, ut sint quaedam, quae a bonitate deficere possint... In hoc autem consistit ratio mali, ut scilicet aliquid deficiat a bono.

Post disputata vix aut ne vix quidem opus erit, ut de hoc argumento separatim verba faciamus. Argumentum tamen vulgarius est, quam quod a nobis negligatur. Vel sic quidem non intelligo, quomodo vero philosopho in mentem unquam venerit. Ad poetica enim hoc referri velim. Facile mihi propono poetam, qui corruptibilia nonnumquam vices incorruptibilium, bonum vices mali excipere, pro lusu sui ingenii, phantasiaque ductus, sequepedalibus verbis canat; at non video quaenam necessitas imperet perfectioni, a bonitate nonnulla deficere; praesertim quum vera sint, quae supra de malo, non tamquam absentia, sed multo magis ordinis rerum perturbatione, disputavimus. Plane absurdum nimirum mihi videtur, aquam claram puramque non cogitari posse, nisi inquinatam, nam hoc sibi vult tale quid non existere posse, nisi una cum aliqua re, quae tale quid non sit. Mirum tamen dictu est denuo, quam haec eodem philosophiae nitantur principio, ac philosophia recentioris aetatis, quae dicitur speculativa. Principium, quod si-

gnifico, a Spinoza lucidissimis verbis expressum est, quae sic sese habent: *determinatio est negatio*. En brevis formula, magisque ad nostram indolem atque doctrinam accommodata, eorum, quae Thomam Aquinatem jam saeculo docuisse tredecimo vidimus. *Determinatio est negatio*; id est nihil determinatur, nisi aliud quid negatur. Hoc aliud quid, ut sponte apparet, priori plane contrarium sit, necesse est. Sic exempli causa bonum non determinatur, nisi malo negato. Bonum enim dicitur *non malum*. Id quod bonum dicitur ergo, negatio est. Quum autem in Realismo, atque praesertim in Thomae doctrina, a summo intellectu initium faciente, quid logice verum sit, ontologice quoque verum esse habeatur, non logice tantummodo id, quod bonum esse dicitur, negatio est, sed etiam ontologice. Arcissime hinc omnia inter se cohaerent. Qui primum dederit, omnia sequentia concedere debet. Necessitas logica imperat. Huic obtemperandum est. Nam omnino notandum mihi videtur, probeque tenendum, antiquiorem philosophiam plane similia docuisse, ac recentiore, licet tamen pro suae aetatis indole ac ratione longe aliis usus sit verbis. Sententiam igitur "*determinatio est negatio*," jam saepe laudatam," ad placitum de malo morali accommodatam, Thomas Aquinas his verbis retulit: "Universi perfectio requirit, ut sint quaedam, quae a bonitate deficere possint." Uti plerumque, hic quoque speculativa, quae dicitur, philosophia nonnulla docere mihi videtur, plane sibi invicem adversantia, quod etiam notetur velim. Meminimus enim Thomam dicere, malum non significare "quoddam esse aut quandam naturam aut formam." Quod verum esse paullisper dabimus. Malum

contra, ut explicet, negationem dicit boni. Bonum vero revera adest. Nonne igitur requiritur etiam malum *esse*? Eadem enim definitione, ac Spinoza, utar. Quid autem sequetur, si bonum, quid sit, definire velim? Videamus. Rogo quid significet bonum esse; tu respondeas necesse est: non malum esse. Bonum nempe definitur, *non malum esse*. Quod quantopere differat ab illo: malum non esse, sponte apparet. Negatio boni non in τῷ *non esse* latet, sed in τῷ *malum esse*. Determinatio igitur boni, negatio boni est. Bonum igitur non malum est. Sed vides τὸ esse cum de bono, tum de malo praedicari atque praedicari debere. Quae quum vera sint illa, ni fallor quae initio statuit Doctor noster *Angelicus*, plane tollunt. Conficimus igitur malum, nisi revera significet quoddam esse, boni negationem non dicendam esse. Quod si non dicatur, falsum est universi perfectione malum aliquod requiri.

Vereor ut, de hisce gravissimis obiter agens, facile ea solvenda duxisse videar; quod tamen longum absit. Haec a me breviter disputata, summa sunt eorum, quae saepe ac multum mecum animo volvi. Tetigisse juvet, quae hinc saltem absolvi nequeant.

Verum, ut lectores mentem nostram probe capiant, diserte monemus, nos non ideirco Thomam *Aquinatem* vituperasse, quod malum dixerit non „quoddam esse” significare; haec enim ex iis, quae de Deo, summo intellectu, philosophatus erat, necessario sequuntur; sed multo magis id ipsum totius ejus doctrinae principium improbamus, quod ad ea, quae vidimus, perducere debere lubenter confitemur. Quod enim principium impugnantes, omni adversamur Realismo, quippe qui immerito, no-

stro quidem iudicio, versetur in ontologice distinguendo rem ipsam inter et eius attributa. Quodsi cum Realistis hoc discrimen obtinere patiamur, de Dei essentia, deque vinculo inprimis Deum inter et rerum universitatem non aequum ferremus iudicium. Tunc nimirum semper, ex omnibus, unum Dei nobis eliciendum erit attributum, quod tamquam Dei essentia proponatur. Realistarum vero partes non secuti, nullatenus inter essentiam et formas discernimus. Omnia Dei attributa simul ejus efficiunt essentiam. Deus non *maxime* est summus intellectus, neque summa bonitas; verum summus intellectus, summaque bonitas artissime conjuncta cum attributis reliquis omnibus perfectionem referentibus, Deum efficiunt. — Attamen, ut diximus, Thomam ea ratione de malo sensisse non aegre ferimus, nec sane est quod valde miremur. Nam apud Thomam "constat, quod secundum rationem nominum nihil praedicari potest per affirmationem de primo (principio rerum), eo quod supra modum eminent omnibus his, propter quod et nullo nomine diffinibile est. Et si dicatur substantia, ex eo dicitur, quod super omnes substantias et super omnem substantiae rationem." Quae satis probant Thomam, in disputando de divina essentia, eandem secutum esse methodum, quam eum cum Spinoza communem habuisse supra indicavimus; quod etiam urgendum videtur, propterea quod huius doctrinae partem saltem formalem egregie explicat. Idem verbi causa cernitur in sequentibus: "omnium formae triplici consideratione sunt in ipso, scilicet unitae secundum quod sunt in ipso, . . . et distinctae secundum quod sunt in lumine terminato ad rei constitutionem," quum ante dixerat: "nihil est

divisum a substantia ipsius, propter quod simplicissimum esset unissimum, in quo nullus est numerus, ubi enim nulla diversitas est, nullus est numerus.”

Antequam transeamus ad „ea quae pertinent ad distinctionem personarum,” postrema adjiciamus; quibus adjectis, notionem Thomae de Deo absolverimus, planeque intellexerimus. Dicit igitur Deum esse „in omnibus rebus, non quidem sicut *pars essentiae, vel sicut accidens*, sed sicut agens adest ei, in quod agit. Cum Deus sit ipsum esse per suam essentiam, oportet, quod *esse creatum sit proprius effectus ejus, sicut ignire est proprius effectus ipsius ignis*” 1).

Nunc vero ordinem a Thoma constitutum sequentes, animo consideremus, ponderemusque quae de distinctione personarum in ipsa Dei substantia philosophatus sit summus noster auctor. Cujus adeo nostra interest, quum Thomas Deum, in se consideratum, unum omnino et simplicem habuerit, quamquam „intellectus noster secundum diversas conceptiones ipsum cognoscit, eo, quod non potest ipsum, ut in se ipso est, videre.”

In memoriam tamen revocemus, Deum a Thoma *Aquinate* dictum esse *purum actum*. Sic enim omnis ejus de hoc placito agendi ratio melius elucebit. Quamvis omnes, qui ante Thomam floruerunt, Scholastici id magis magisque egerint, ut Trinitatem proponerent tamquam processionem aliquam in ipsa essentia Dei, adeoque doctrinae Ecclesiasticae rationem parum philosopham, quatenus pro fide liceret, mutarent; quamvis igitur Thomas antecessorum sapientia gauderet, nobis, si quid

1) q. 8. art. 1.

video, primus est qui, Deum dicendo purum esse actum, eadem ratione, de placito Trinitatis philosophatus sit, ac plerumque fecerunt theologi recentiores. Perquam brevis erit disquisitio huius Thomae sententiae, dummodo probe teneamus, eum non tantum summum intellectum Deum dixisse, sed quoque contendisse, *velle* atque *esse* in Deo unum idemque esse habendum. Nescio an Thomae mentem perspicue tradere videar, omnia ejus effata de gravissima re, ad haec pauca referens: summus intellectus, qui agit ac qui vult, en, quod a Thoma dicitur Trinitas. Haec tamen uberius nobis explicanda sunt. Intelligere et esse divinum, ut nobis, Thomam sequentibus, satis superque notum est, verba sunt eiusdem plane significationis. Itaque, quidquid ex priori sequitur, ex posteriore etiam sequatur necesse est. Porro, memoria retineamus, quae supra legimus: „In Deo intellectus intelligens, et id quod intelligitur..... sunt omnino unum et idem.” Nullum igitur — ut verbis apud philosophos recentiores magis usitatis utar, — nullum adest discrimen subjectum inter et objectum ¹⁾. Ex quibus praemissis, a nobis paullisper concessis, facile cum Thoma conficimus, primum actum summi intellectus esse *verbum*. Nostrae saltem cogitationis primus effectus est verbum. Reponat fortasse quis, verbum dictum non ejusdem esse naturae ac dicentem, nullamque apud nos cogitationem inter et verbum obtinere similitudinem, quam ut hujus illa sit causa. Talia vero reponenti in memoriam revocem, intellectum in Deo „et id quod intelligitur,” unum idemque esse; ita ut, cum constet primum

1) Apud Germanos: *Identität des Subjekts und Objekts.*

actum intellectus esse verbum Dei, τὸν λόγον, non amplius dubitandum sit, quin verbum ejusdem plane naturae sit, atque ipse intellectus. Intellectus verbum progignit „secundum emanationem intelligibilem, utpote verbi intelligibilis a dicente, quod manet in ipso.” Addiditque Thomas: „sic fides catholica processionem ponit in divinis.” Merito igitur scripsimus, secundam personam Trinitatis esse intellectum, qui agit. Vides autem quam caute, quam accurate omnia definiverit Thomas. Fortasse enim quaerendum esset, an intellectus progignens verbum, non illi adversetur sententiae, qua initio statuit Thomas, in Deo nihil esse potentialitatis. Nam si verbum progignitur ab intellectu, antequam progenitum sit, in ipso intellectu *potentialiter* adesse videtur. Animadvertas vero verbum minime ex potentiali existentia, actu fieri, eo sensu ut verbum quid fiat, quod antea non esset, nam, ut saepius iam monuimus, id quod intelligitur nihil aliud est, quam intellectus. In hoc nimirum *paradoxon* optime fortasse Thomae redigemus sententiam: inter ea quae plane eadem sunt, vinculum obtinet tamquam causam inter et effectum. „Procedere in intimum et absque diversitate per modum intelligibilem includitur in ratione primi principii. Cum enim dicimus aedificatorem principium domus, in ratione huius principii includitur conceptio suae artis.”

Tertia persona Trinitatis est summus intellectus, qui vult, sive summus intellectus secundum voluntatem. Spiritus enim procedit e summo intellectu. „Quo nomine quaedam vitalis motio et impulsio designatur, prout aliquis ex amore ducitur moveri vel impelli ad aliquid faciendum.” Nec latet magis congruum esse verbum dici

procreari, progigni, spiritum vero dici *procedere*. Nam verbum est actus intellectus, spiritus potius intellectus certa conditio, nempe haec voluntas summa caritas est. Cogitando, ut videtur, subiectum quodammodo in obiectum transiit, neque absolutum intelligere sine aliquo intellectu cogitari potest. Voluntas vero absoluta non ita continuo requirit obiectum.

Fatendum est, si unquam placitum de Trinitate theologo aut philosopho sese commendare poterit, placitum illud, quale a Thoma expositum est, multa habere, quibus se commendet. Sancta Trinitas enim apud Thomam tria illa amplectitur, quibus *perfectum esse* efficiatur. Primo loco Deus nobis est: summus intellectus; deinde id quod intelligitur; postremo loco, summa voluntas. Ut suam ulterius suadeat sententiam, docte addidit: „personae sunt ipsae relationes subsistentes. — Personae divinae non distinguuntur in esse, in quo subsistunt, neque in aliquo absoluto, sed solum secundum id, quod ad aliquid dicuntur distinctio personarum non debet esse, nisi per id, quod minimum distinguit, sive per relationem”¹⁾. Quamquam igitur divinam essentiam in Trinitatem distinxit, unitatem tamen Dei servare scite conatus est. Animadvertere non opus erit, hanc relationum distinctionem Thomae Realistae omnino licuisse, quippe qui sibi Realistae constare non potuisset, nisi iis, quae logice distingueret, ontologicam quoque tribuisset significationem.

Nunc vero, quae de Trinitate sensit Thomas satis cognita habentes, optime de ejus doctrina, quoad omnem

1) Q. 40. art. 2.

Dei essentiam judicare poterimus; quam, ut nostri imprimis rationem habeamus propositi, ceteraque missa faciamus, egregie videmus expressam, in sequentibus: „Necessitas autem finis non repugnat voluntati, similiter et necessitas naturalis non repugnat voluntati, quin imo necesse est, quod sicut intellectus ex necessitate inhaereat ultimo fini, qui est beatitudo” 1). Haec enim imprimis urgenda sunt. Transeamus ad ea quae „pertinent ad processum creaturarum ab ipso.” Videndum nobis erit de doctrina de creatione mundi, sive universe de mundo. Gravis etiam haec quaestio est triplici modo distincta; nempe quaestio de creatione mundi tria spectat momenta; quaeritur utrum ex nihilo creatus, utrum aeternus, utrum perfectus sit mundus. Hic quoque animadvertendum erit, Thomam, licet permulta uberius explicuerit, raro a summo magistro discessisse. Nec minus hic perspicuum erit, Thomam Realismo deditum fuisse.

Nequaquam eum premit difficultas mundum ex nihilo esse creatum. Acute distinguit inter vinculum singulam causam et effectum singulum, atque id quod Deum inter, tamquam causam generalissimam, obtineat et mundum, tamquam τὸ universum esse. Concedit singulum effectum ex singula causa sequi debere, adeo ut certo in singulis vetus philosophiae valeat lex: ex nihilo nihil fieri. At mundo creato nihil omnino antecedere potest, nam prima quoque materia a Deo creata est. Cum videlicet de rerum universa existentia sermo fiat, deque ejus causa instituatursquisitio, res singulae non considerantur secundum peculiarem quandam existentiae formam, sed

1) Q. 82. art. 1.

tantum secundum earum existentiam, per se. Natura enim rerum causa est quoad formam, data tamen materia. Deus autem si, dato aliquo, mundum creavisset, datum illud non a Deo petiisset originem. Nihil vero adest, nisi a Deo creatum, sequitur ergo Deum ex nihilo mundum crease.

Videamus tamen, quo sensu Thomas hanc acceperit sententiam; audiamus ipsum virum. „Dicendum, quod Deus est prima caussa exemplaris omnium rerum. — Ipse Deus est primum exemplar omnium rerum.” Haec iam lucem spargere videntur. Nam principia, omniumque rerum ideae, quibus in rerum universitate differentiae reperiuntur, in divina sapientia latent. Ipse Deus est idea exemplaris. Vinculum igitur, quod Deum intercedat et mundum, idem est ac ideam inter et res actu existentes. Haec vero sententiam, ex nihilo nihil fieri, omnem mutant. Docemur enim singulae cujuscumque formae ideam esse exemplarem, sive causam; ita ut creari nihil aliud sit, nisi actu fieri, quae antea potentia, tamquam ideae iam aderant. — „(domus) includeretur in ratione primi principii, si aedificator esset primum principium. Deus autem, qui est primum principium rerum, comparatur ad res creatas, ut artifex ad artificata”¹⁾). Nunc omnia, credo, perspicua sunt. Omnia Realismum redolere, omniaque tamquam Realismi inania phantasmata reiicienda esse, non opus est ut diserte indicemus. Sed alicuius momenti est videre, quid de aeternitate mundi senserit doctor noster *Angelicus*. Nullum enim fugit, doctorem Scholasticum libere profiteri sententiam. Nempe

1) Q. 27. a. 1.

ex paucissimis, quae de Thoma monuimus, deque ejus doctrina attulimus, cuius jam satis superque notum erit, quod ceteroquin ex ipso Realismi principio sponte sequitur, mundum, in Thomae doctrina, revera esse aeternum. Attamen notetur, velim, quemadmodum doctor *Angelicus*, quem olim Ecclesia sanctum pronuntiatura erat, Thomae adversatur philosopho; quo notando, Scholasticismi indoles, veluti in transitu, in clara luce ponitur. Scripsit enim Thomas: „mundum incepisse est credibile, non autem demonstrabile vel scibile.” Addidit quoque: „Et hoc utile est, ut consideretur, ne forte aliquis, quod fidei est, demonstrare praesumens, rationes non necessarias inducat, quae praebeant materiam irridendi infidelibus, existimantibus nos propter huiusmodi rationes credere quae fidei sunt.” Summus igitur philosophus, qui omnia ex summo intellectu petere haud recuset, hic tam misere discrimen patitur credere inter et intelligere sive demonstrare. Non temere, nec sine causa, hoc discrimen miserum dico. Non enim me videre quomodo, vel quo sensu mundum non sive omnino esse aeternum credendum sit, libere confiteor. Nonnumquam profecto scire rectè discernitur a fide. Adsunt omnino magis fide amplectanda quam philosopha ratione demonstranda. Haec tamen talia sunt, qualia spectent ad vitam, ad religionem, ad piam animi conditionem. Utrum vero mundus aeternus sit nec ne, quomodo fide tantummodo dijudicetur omnem meam superant cogitationem¹⁾. Vel sic tamen vix

1) Haec locum *Epistolae ad Hebraeos* non impugnant. Ibi enim agitur de fide, qua creditur Deum mundi esse creatorem; unde tamen humanae rationis ope conficiendum est mundum non esse aeternum.

aut ne vix quidem dissimulare potuit Thomas philosophus, dum sibi constare vellet, mundum a se aeternum esse dicendum. Cum se ipse, tum lectores decipere voluit scribendo: „etsi mundus semper fuisset, non tamen parificaretur Deo in aeternitate, quia *esse divinum est totum* absque successione. Non autem sic est de mundo.” Perspicuum est philosophum nostrum deverticula flexionesque quaerere; neque incallide tergiversatur. Quum enim probare potuisset, mundum, etiamsi semper fuisset, non tamen equiparandum esse ad Deum, difficultatem tolleret, qua, Ecclesiae doctrinae ratione habita, Realismi, hac in re, premeretur sequela. Voti tamen non compos factus est. Etiamsi concedamus inter aeternitatem atque aeternitatem universe distinguendum esse, ut de unius Dei aeternitate praedicari possit: „esse divinum est esse totum absque successione,” contra Thomam tamen statuimus mundum vel hoc sensu, ex ejus ipsius mente, aeternum haberi. Meminimus enim legere: „Deus cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis caussis, sed etiam *prout unumquodcumque* eorum est actu in se ipso non . . . Deus *successive* cognoscit contingentia contingentia infallibiter a Deo cognoscuntur.” Quid plura? Vix opus est diserte indicare, quid inde conficiamus. Mundum nimirum esse, absque successione.” Nobis quidem sibi invicem succedere videntur contingentia; Deus vero melius contingentia illa, id est mundi universitatem, cognoscit, cognoscitque ea „*non successive.*” Nonne merito scripsimus, veri Scholasticismi indolem atque rationem hinc miro quodam modo esse conspicuam?

Tertio loco quaestioni respondendum est, utrum per-

fectus sit mundus. Nullo fere nomine nisi hoc, locum de creatione mundi maximi fecit Thomas. Nec sane est quod valde miremur. Cum enim omnes res creatae ideis exemplaribus respondeant, his formis, nisi mundus perfectus sit, inhaereat defectus necesse est. Deinde, post Thomam auditum de malo disputantem, non est quod quaeramus an, mundum perfectum praedicans, malum et defectus in mundo explicare potuerit. Ac profecto sibi constitit. „Necesse est, quod divina bonitas, quae in se est una et simplex, multiformiter repraesentetur in rebus, propter hoc quod res creatae ad simplicitatem divinam attingere non possunt; *et inde est quod ad completionem universi requiruntur diversi gradus rerum,* quarum quaedam altum et quaedam infimum locum teneant in universo. Et ut multiformitas graduum conservetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediuntur. Sic igitur „consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum universitatem.” Malum, ut vidimus, secundum Thomam est privatio boni. Exempli causa, „defectus.... visionis non est malum in lapide, sed in animali, quia contra rationem lapidis est, quod visum habeat.” Quum igitur mundus eam ob causam perfectus esse negaretur, quod non a se sit, semper vero e Summo Numine pendeat, respondendum est: „similiter etiam contra rationem creaturae est, quod in esse conservetur a se ipsa.” Quam sententiam ita ad naturam a Thoma accommodatur ut, „si omnia mala impediuntur, multa bona deessent universo,” necesse sit. „Non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium, nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum” „Quo minus in

partes Thomae nos ipsi abeamus, eo magis eum miramur, in omnibus fere sibi constantem. Nihil ei obest; qualemcunque tollit difficultatem. A summo intellectu initium faciens, omnia intelligit, explicat omnia ex una prima causa. Suo Realismo fretus, omnia spernit, quae summo intellectui adversari videantur, nec curat res, ut vere sese habent. Nullum malum verum inest universo, „universi perfectio enim requirit ut sunt quaedam, quae a bono deficient;” nullum vitium naturae, „ad completionem enim universi requiruntur diversi gradus rerum.” Dolores nec lacrymae eum offendunt; „non enim esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum.” En tamen exoritur difficultas, quae summam Dei bonitatem tollere videtur. Docet Ecclesia, nonnullos homines in aeternum pessum dando fore. Quid? Deum summum intellectum, summamque bonitatem homines ad miserrimam conditionem creasse, tu statuis? Confidenter reponit Thomas: „Ex ipsa bonitate divina ratio sumi potest praedestinationis aliquorum et reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, ut in rebus divina bonitas representetur.” Notandum omnino hic quoque Realismi indolem in clara luce positam esse, quippe qui immoderate necessitati omnia subjiciat. Ne minimum quidem humana libertas occupat locum. Cui bono, vitam ad Dei legem virtutemque informare studebo? Nescio enim utrum divina bonitas ad beatitudinem et sanctitatem me praedestinaverit an reprobaverit.

Nam ita sentiendum esse de humana libertate, me jure conficere puto ex iis, quae de divina bonitate monuit doctor noster *Aquinas*. Nec tamen in his subsi-

stere licet, cum neque in his ipse Thomas substiterit. Itaque, ne iudicandi levitatis accusemur, disquisitionem instituamus eorum, quae de homine monere perrexit. Videndum nimirum nobis erit cum de soteriologia, tum de Christologia. Haec enim cum illa artissime cohaeret; ita ut, ex mente Thomae, soteriologiam non probe intellecturi simus, nisi quoque de Christologia nobis constet.

De soteriologia egit Thomas, in: *summa Theologiae*. Singulatim quaerit de ipsa passione, de passionis causa (utrum Christus fuerit ab aliis occisus vel a se ipso, caett.), de passionis effectu. Prima autem quaestio, quae omnium gravissima est, denuo in duodecim distinguitur quaestiones, sic se habentes: „1) Utrum necesse fuerit Christum pati pro liberatione hominum. 2) Utrum fuerit alius modus possibilis liberationis humanae. 3) Utrum ille modus fuerit convenientior. 4) Utrum fuerit conveniens, quod in cruce pateretur.” Animadvertamus denuo, in transitu, copiosam verbosamque Scholasticorum disputandi rationem. Hae enim quatuor quaestiones optime ad unam referri possunt; nempe ad hanc: utrum necesse fuerit Christum pati pro liberatione hominum. Reliquas nunc missas facio, duabus postremis tamen exceptis, quae alicuius momenti esse videntur: „11) Utrum conveniens fuerit, ipsum cum latronibus crucifigi. 12) Utrum passio ipsius Christi sit divinitati attribuenda” 1).

Itaque quaeritur de necessitate mortis Christi. Initium faciamus, a commemorando responso, quod huic quaestioni dedit Thomas. „Supposita,” diserte monet, „praescientia et praedestinatione Dei de passione Christi,

1) T. III. Quaest. XLVI—XLIX.

non erat simul possibile, Christum non pati, vel hominem alio modo, quam per passionem eius liberari." Vel si omnia quae de passione Christi scripserit Thomas, neglexissemus, eum tale, quale videmus, hac de re sensisse, ex omnibus praemissis facile conficere potuissemus. Neque enim temere addita sunt: "*supposita praescientia et praeordinatione Dei.*" Haec tamen nonnullis admodum difficile coniungenda visa sunt cum praecedentibus, quae sic sese habent: "In Deum non cadit aliqua necessitas, quia hoc repugnaret omnipotentiae ipsius, ergo non fuit necessarium, Christum pati." Nonne cuivis, obiter rem pertractanti, videbitur Christi passionem a Thoma non necessariam dictam esse? Nonne ipse affirmat in Deum non cadere aliquam necessitatem; quin, "*ergo non fuit necessarium*" ipse concludit. Quid plura? ubi testimonia adsunt, non opus est verbis.

Talia dicenti in memoriam revocare liceat, Thomam significasse necessitatem extrinsecus Deo impositam; deinde, Deum ab initio summum intellectum dictum esse. En vel id ipsum, quo prae multis eminebat philosophis, ita Deum necessarium statuentibus, ut aliqua vi externa coactus videretur. At, apud Thomam, necessitas praedicatur *de summo intellectu*, quod probe semperque teneamus. Est igitur potius necessitas procedens ex intellectu summo; sive, Deus necessarius est, *quia intellectus est*; quo fit ut omnia quaeque Dei opera necessaria sint, quia sunt opera summi intellectus. — Optime igitur Thomam intelligimus in Deum nullum cadere necessitatem contententem; nec desunt argumenta, quibus haec nostra sententia probetur. Sin enim aliter fuisset, quid, quaeso, significat notandum illud: *supposita*

praescientia, et quae sequuntur? Minime latet, quid haec sibi velint: non necessarium fuit Christum pati, quia hoc cum aliqua causa, in Deo, ignoto quodam modo, arcte ac necessario cohaeserit, at vero, quia Deus omnia, tamquam summus intellectus, praescivit, praecordinavitque omnia, non potuit Christus non pati. Diserte addidit Thomas: „est eadem ratio de omnibus his, quae sunt praescita et praecordinata a Deo.” Hic etiam sibi constitit Thomas. Non tantum Deum dixerat summum intellectum, sed etiam voluntatem. Itaque in quaestione de morte Christi, utrum necessaria fuerit, necne, notionem hujus vocis *necessaria*, ipse nobis explicet Thomas. Neque a mente Thomae prorsus nos alienos fore putamus, cum hoc modo illius referamus sententiam: Thomas Christum *pati pro liberatione hominum, necessarium dixit secundum Dei intellectum ac Dei voluntatem. Haec necessitas intellectualis est et voluntaria.*

Non est ut diserte agamus de omnibus quae ad mortem Christi illustrandam in medium contulerit Thomas. Prout nostri propositi fert ratio, illa tantummodo attendamus, in quae Realismi vis atque auctoritas conspicua sit. Reliqua igitur nunc missa facientes, duo excipiam, quae ut rem nostram illustrent, idonea sunt. Spectant quaestionem aequè gravissimam, quomodo passio Christi nostram caussaverit salutem. Primum in censum venit, quomodo meritorum Christi nos participes fiamus? deinde quaenam nostri causa Christi merita sint? Itaque quaeritur de Christo, Ecclesiae capite, nec non de gratia superabundante. In utrisque nimirum responsis, a Thoma praestitis, Realismus cernitur.

„Christus dicitur caput Ecclesiae secundum simili-

tudinem capitis humani, in quo tria possumus considerare, scilicet ordinem, perfectionem, virtutem ¹⁾.... anima Christi est iustificata, et gratia eius, secundum quam est caput Ecclesiae, justificans alios ²⁾." Christus dicitur caput Ecclesiae. Quid inde efficit Thomas? Quoad ideam, omnem humanitatem esse in Christo, ita ut quod Christus perpetraverit, omnis humanitas in Christo idem perpetrasse dicenda sit. "Passio," ut diserte monet, "non est meritoria, in quantum habet *principium ab exteriori*, sed secundum quod eam aliquis voluntarie sustinet, sic habet principium ab interiori, et hoc modo est meritoria ³⁾." Est procul dubio vetus Realismus. "*Sicut enim corpus naturale est unum,..... ita tota Ecclesia, quae est mysticum corpus Christi, computatur, quasi una persona cum suo capite, quod est Christus* ⁴⁾." Humanitas igitur, Realistarum ratione, tamquam universale per se existens proponitur, cuius exemplaria singula, homines individui dicantur. Humanitas enim, hoc modo proposita, in Christo omnis adesse potest. Quod nempe de Christo valet, valet quoque de hominibus omnibus reliquis. Cum auctore tamen, si quid video, libri "*de generibus et speciebus*," saepius laudato, summo denuo jure quaerendum est. "Quodsi ita est, quis potest solvere, quin Socrates eodem tempore *Romae* sit ac *Athenis*? Ubi enim Socrates est, et homo universalis est, secundum totam suam quantitatem informatus

1) P. III. q. VIII. art. 1.

2) Ibid. art. 6.

3) XLVIII. art. 1.

4) Ibidem.

Socraticitate" 1). Nam ea ipsa similitudo, qua Thomas usus est, ut vinculum Christum inter et Ecclesiam explicaret, vituperanda videtur. Nempe corpus naturale non eodem modo unum est, ac Ecclesia Christi. Corpus naturale non existit sine capite, neque abscissis membris. Corpus naturale unum et totum est, constans ex plurimis membris singulis; Christus vero per se sanctus, perfectus est, neque ad ejus perfectionem requiritur Ecclesia. Quicumque deinde salvus ac sanctus fieri velit, id non consequetur, quoniam omnis humanitas in Christo salva sanctaque facta sit, sed quatenus ipse Christo fidem habeat, atque cum illo amoris vinculo coniunctus sit.

Posteriori loco nobis agendum erit de gratia, quae dicitur *superabundans*. „Passio Christi non solum sufficiens, sed etiam *superabundans* satisfactio fuit pro peccatis humani generis secundum illud 1 Joh. II: 2 2). Quae sententia cohaerere videtur cum doctrina, quae est de operibus „*supererogatoriis*;" notum autem est hanc doctrinam in Ecclesia Romano-Catholica maximopere invaluisse. In ea tamen Realismum quoque conspicuum esse paucis indicabo. Docuit Thomas Christi passionem nos liberare „*reatu poenae*," cum quia est „*sufficiens et superabundans satisfactio*," tum quia „*remissionem peccati*" caussat.

Cum dixerim me paucis haec absoluturum esse, negligentia praeteriisse ne videar, quae profecto maximi sunt

1) *De generibus et speciebus* ed. Cousin pg. 513, 514.

2) Καὶ αὐτὸς ἱλασμὸς ἔστιν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, οὐ περὶ τῶν ἡμετέρων δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλου τοῦ κόσμου.

momenti. Quaestio enim, quae est de satisfactione superabundante operibusque „supererogatoriis,” cum Ethica Christiana ita arcte cohaeret, ut hac in re sane levitas iudicandi perquam vitanda sit. Equidem persentisco, Thomam refutari non posse, nec Ecclesiam Romano-Catholicam, quatenus de hac doctrina cum Thoma consentiat, nisi ex ipsius Christianae Ethices indole atque ratione petantur argumenta. Hanc vero ob causam haec tantummodo perstringam, quod, nostri propositi ratione habita, minoris sint momenti. Nempe Realismus in eo latere videtur, quod bona opera sejungantur ab homine, qui ea perpetret. Quae arctissime inter se cohaerent, solito Realistarum more, cogitatione separantur. Constituitur enim certus bonorum operum numerus, quae si quis perpetraverit, legi divinae summaeque iustitiae satisfacisse videtur. Ethica igitur non est vita religionis virtutisque studiosa, quae, quamquam ad legem divinam informata, se huic legi satisfacisse, numquam habeat; sed potius convenientia tot operum cum tot praescriptis legis divinae¹⁾.

Christus contra, me quidem iudice, idcirco omnium sanctissimus, perfectissimus omnium dicitur, quippe qui summo amore erga Deum ductus, virtutem coluerit, non ob legem divinam, sed quandoquidem non potuit non vitam instituere ad voluntatem Patris coelestis. (Joh. IV: 34). Huius loci tamen non est haec ulterius explicare. Graviora nos vocant; nam tandem nobis videndum est de ipsa Thomae Christologia.

1) Cff. tamen quae hac de re supra scripsi, de eadem doctrina apud Anselmum obvia, disputans.

An hic quoque eadem necessitas, quam in omni Thomae doctrina vigentem vidimus, conspicienda erit? Adsunt procul dubio, quibus duci videmur ad contrarium statuendum. Postquam enim „virtutem divinam principium actus” dixerit, „terminum autem personam,” atque haec uberius illustraverit, ita pergit: „.... divina virtus potuit naturam humanam unire personae Patris vel Spiritus Sancti, sicut univit eam personae Filii, et ideo dicendum, quod Pater vel Spiritus sanctus potuit carnem assumere sicut et Filius”¹⁾. Rem vero accurate investigemus. Quod ut rite fiat primum omnium nobis constet necesse est de significatione, quam tribuit Thomas uni-
oni naturae divinae cum natura humana. Ipsum audiamus rem definientem: „Unio, de qua loquimur, est relatio quaedam, quae consideratur inter divinam naturam et humanam, secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei non autem est realiter in Deo, sed secundum rationem tantum, *quia non innascitur secundum mutationem Dei*, in humana autem natura, realiter est, et ideo oportet dicere, quod sit quiddam creatum”²⁾. Docemur igitur divinam naturam minus se conjunxisse cum natura humana, quam hanc cum illa. Nam essentia divina mutari nequit. Unio igitur in humana tantummodo natura „realiter est.” Nam ubi duo coniunguntur, utraque aliquatenus mutantur. Haec unio tamen — ut diserte animadvertitur — „non innascitur secundum mutationem Dei.” Quae quum ita sint, contendimus, Thomae non contigisse hanc unionem Deum

1) P. III. q. 3. art. 5.

2) Q. 2. art. 7.

inter et hominem sufficienter explicare. Nempe eum videmus omnem fere unionis notionem sustulisse; quin ipsa vox *unio* reiicienda videtur, dicatur potius *assumptio*; divina natura nimirum *assumpsit* naturam humanam. Quod ex reliquis etiam a Thoma monitis satis superque elucebit. Tibi forte quaerenti, an Deus homo, et homo Deus dicendus sit, respondebit doctor noster: „Nos autem non attribuimus nomen deitatis homini secundum humanam naturam, sed secundum suppositum aeternum, quod est etiam per unionem suppositum humanae naturae.” Manifestum est Thomam voce unionis quidem usum esse, veram significationem tamen huic vocabulo non tribuisse; quodsi enim revera unio sit divinam inter et humanam naturam „nomen deitatis” *omnino* attribuendum est homini secundum humanam naturam, nec tantummodo, „secundum suppositum aeternum. Nec tamen *Nestorianismi* accusetur Thomas. Quod longum profecto absit, ut ex totius eius doctrinae ratione jam conficere licet, quamquam confiteor in postremis praesertim nonnulla adesse, quae *Nestorianismum* redolere videantur. Haec vero ut expediam, nobis opus est indagare, utrum verbis initio laudatis, „quod Pater et Spiritus S. potuit carnem assumere, caet.” fides sit habenda. At vero ad illa redibo. Non raro celat sententiam suam, dicendo hoc illudve esse conveniens; quod tamen ne nos fallat, in memoriam revocemus, ex mente Thomae, conveniens atque necessarium, vocabula esse ejusdem plane significationis. Non enim negligimus, Thomam numen supremum summum dixisse intellectum, cuius voluntas „necessariam habitudinem habet ad bonitatem.” Jam vero,

proponas tibi, aliquid inconvenienter evenire. Quamobrem autem hoc illudve inconveniens dicitur? Quia aut minus sapiens, aut minus bonum sit. Quod minus sapiens est, summo intellectui, quod minus bonum, summae bonitati repugnat. Quod vero summo intellectui repugnet, ab ipso factum esse nequit, ut etiam non fieri potest, humanam bonitatem aliquod perpetrare minus bonum. Id contra conveniens dicitur, quod nec sapientiae, nec bonitati adversetur. Tunc igitur Deus convenienter egisse dicitur, cum ét secundum bonitatem ét secundum intellectum egerit. Quandoquidem vero Deus alio modo agere nequit, quam ut sibi bono sapientique constet, *debet* sapienter beneque agere. Conveniens quodcumque sit in Deo, jure necessarium dicitur. Dolendum sane est, Thomam haec non bene vidisse. Quae enim si vidisset, multo nobis esset facilius aequum de ejus doctrina ferre iudicium.

Hisce luculenter, ut spero, praemissis, accurato examini submittamus, quae monuit de Filio Dei "carnem hominis assumente." Filius Dei enim, secundum Thomam, tamquam verbum Dei, pari ratione se habet ad omne, quod creatum est; id est, quia verbum Dei est, a Deo Patre progenitum dicitur. Secundum naturam suam igitur Filius progenitus est. Itaque quodammodo eiusdem naturae est ac creatura; nempe eo sensu, quod Filius aequae ac creatura non causa sui sit. Deus Pater, ut supra vidimus, aliquatenus transit in Filium, sicut cogitatio nostra transit in verbum. Eadem ratione summus intellectus in rerum universitatem creatam transiisse dici potest. Patet igitur trium personarum Sanctae Trinitatis nullam magis idoneam fuisse, quae humanam

assumerit naturam, quam Filius, omnium creaturarum aeternum exemplar.

Omniū creaturarum aeternū exemplar est, non quidem, quoad formas singulas, quae induant, sed *mere* quatenus creaturae sint; id est, quoad existentiam eorum creatam. Creaturae igitur non tamquam creatae existunt, nisi operante primo hoc creaturarum exemplari, sive aliis verbis, quatenus hujus exemplaris existentiae participes fiant. Creaturae tamen, quamquam existunt, a vera via deflectere potuerunt atque deflectunt. Itaque idem, quo operante creaturae existunt, in veram viam eas reducat necesse est. Prius a posteriori divelli nequit, nec posterius sine priori cogitatur.

Accedit quod Filius quoque dicitur aeterna summaque sapientia. Homo ratione atque intelligentia praeditus, non nisi per summam sapientiam ea consequi potest, ad quae creatus est. Quod argumentum imprimis Dei bonitatem spectare videtur, atque pulchrius inventum, quam fortasse a Scholasticis expectaremus. Nam egregie vidit Thomas, ethicam esse scientiam bene vivendi; scientiam nimirum eorum, quae ad vitam bonam felicemque informandam inserviant. Qui revera sapit, bene vivit. Homini igitur peccatis obruto, aliquo opus est rectam viam monstrante. Summa sapientia se coniungit cum hominibus, ita ut sapientiam recuperent.

Vides haec omnia probare, conveniens esse Filium Dei assumpsisse naturam humanam.

Post vero omnia a nobis animadversa, licet haec aliis reddere verbis. Conficimus necessarium fuisse Christum carnem fieri.

Redeamus tamen ad *Nestorianismum*, cuius accusandus

esse videretur Thomas, Equidem censeo alius quidem rei accusari posse doctorem *Angelicum*, minime tamen *Nestorianum* eum esse dicendum. Neque ullus dubito, quin viros doctos omnes mihi assentientes habiturus sim, argumenta mea petituro ex ipsius *Nestorianismi* ratione atque indole. Christum Deum fuisse et hominem, agnovit Nestorius, ita tamen ut utraque natura a se invicem plane sejungeretur. Christus igitur non ab eo proponi solebat tamquam θεῶνθρωπος. Hoc nomine enim egregie mihi significatum videtur, utramque naturam, divinam nimirum et humanam, arctissime esse coniunctam. Quamquam, ut patet, magnus sane in Christologia Nestorio tribuendus est error, negari nequit, eum humanam naturam agnovisse, illamque magni ponderis fecisse; licet eo eventu, ut hanc inter et divinam naturam non probe teneret vinculum.

Haec tamen ipsi Realismo vehementissime adversari, quis est qui neget? Nempe Realistae omnes plus minusve pantheismum redolent; atque pantheismum, qui dicitur *idealem*. Satis vero superque notum est, in Pantheistarum *idealium* doctrina, hominem ipsum individuum, vix aut ne vix quidem ullum obtinere locum. Ipse homo enim, sicut omnis rerum universitas, non est nisi manifestatio essentiae divinae. Meminimus, Thomam mundum creatum proposuisse, ut manifestationem idearum exemplarium aeternarum. Contingentia vidimus Deum non talia cognoscere, ut nobis quidem esse videatur. Malum, quamquam nostrò iudicio revera existit, ne tamen dicatur „quoddam esse.” Quid plura? Ex paucis patet omnem hanc doctrinam idealistam referre indolem. Quid inde, quoad Christologiam sequatur, necesse est? *Dum*

sibi constet Thomas, *Docetismum seclari debet*. Secundum *Docetismum* enim humana natura non nisi specie Christo tribuitur. Quatenus Christus homo sit, non hominis assumpsisse naturam, sed humanam quandam formam, veluti vestimentum induisse videtur. Adsunt tamen argumenta diserta.

I. Audivimus unionem, relationem quandam "inter divinam naturam et humanam," non esse "realiter in Deo, quia non innascitur secundum mutationem Dei." Haec iam sufficerent nisi gravius quid accederet.

II. "Dicendum, quod quidquid fuit in humana natura Christi, movebatur rectu voluntatis divinae, non tamen sequitur, quod in Christo non fuerit motus voluntatis proprius naturae humanae. Instrumentum animatum anima rationali movetur per voluntatem eius, sicut per imperium domini movetur servus ad aliquid agendum. Sic ergo humana natura in Christo fuit instrumentum divinitatis, ut moveretur per propriam voluntatem."

III. "Est igitur ista unio relatio disquiparantiae realis in uno extremo, cui in altero nulla relatio correspondet, vel saltem nulla realis et ita relatio ista est ordinis in uno extremo relatio."

IV. "Nomina vero concreta supponunt hypostasin naturae, et ideo indifferenter praedicari possunt ea, quae ad utramque naturam pertinent, de hominibus concretis;"

Ne longior sim, in his mihi subsistendum est, quamquam plura addenda habeo. Thomam *Nestorianum* videri, *Docetam* tamen esse, en, quod egregie theologiam *Scholasticam* nobis veluti ante oculos depingat. Brevior sum quam vellem, longior fortasse quam, pro speciminis

academici ratione, par est. Plurima praetereo, multaque,
me quidem invito, praeteribo. Itaque cum, de Thomae
doctrina quaerentes, Realismum tredecimi huius saeculi
in comperto habeamus, praestabit de Duns *Scoto* tan-
tummodo, ac de Gulielmo ab *Occamo*, Nominalismum
vindicanibus, paucis videre.

CAPUT VI.

NOMINALISMI VICTORIA.

SECTIO I.

Duns Scotus.

Duns Scotus, ut supra verbo diximus, doctrinam nobis repraesentat, multis nominibus contrariam; in ea enim universe Nominalismus cernitur. Vidimus, necessitatem Realismi notam esse characteristicam; unde conficere licet, quid inprimis *Duns Scoti* doctrinae proprium sit. Nec est, plurimis iam hac de re animadversis, quod multa in antecessum dicamus, sive amplius moremur, quominus ipsum *Duns Scotum* continuo adeamus.

Ea tantummodo attingemus quae perspicue doceant, *Scotum* plane diversa ratione philosophatum esse, ac *Thomam Aquinatem*. Quod ut rite fiat, primo loco videndum est *de cognitione Dei*.

Attentione nostra digniora sunt, quam quae a nobis sileantur, ipsa illa *Scoti* verba, de notione Dei agentia. Scripsit enim D. *Scotus*: "Sic ergo intelligendo per nomen Dei aliquid, quod nos non perfecte cognoscimus nec concipimus, ut hanc essentiam divinam, sic haec est per se nota: *Deus est*. Sed si quaeritur, an esse insit alicui conceptui, quem nos concipimus de Deo, ita quod sit propositio per se nota, in qua enunciatur esse de tali conceptu, puta in tali propositione, cuius postrema possunt a nobis concipi:..... dico, quod nulla talis est per se nota,.. —"

Haec animadversione dignissima quam arcte cohaerent cum omni *Scoti* doctrina theologica; quippe quae eo sensu a nobis Nominalista dicatur, quod humanae rationi vix ullam tribuat auctoritatem. Thomam enim eam ob causam omnia, quae pro Dei existentia afferri solent, argumenta rejecisse vidimus, quoniam Dei existentiam per se nobis notam esse sibi volebat. Thomae tamen Duns *Scoto* adversante, nobis inquirendum est, utrum fortasse ad argumenta confugerit, quibus quid per se notum esse negavit, demonstraret. Quamvis minime nos lateat, *Scotum* ejusmodi revera attulisse argumenta nonnulla, vel sic quidem ab eo ipso ea argumenta non magni facta esse contendimus. Diserte enim passimque humanam indicat, rationem nullatenus idoneam esse, quae rerum veram existentiam nobis demonstrat, atque eo ipso imbecillae nostrae rationi peculiari quodam opus esse auxilio. Ipse nimirum unus fuit ex illis Theologis, quos ipse dicit cognoscentes, "defectum naturae et necessitatem gratiae et perfectionum supernaturalium." Nempe ex ipso Realismo ad Nominalismum

pervenisse videtur *Scotus*; quum saltem non ab initio inde nulla, rationis humanae ope, probari posse, statueret; quod de pluribus valet quaestionibus, quas solvendas duxit, Aristotelis nitens auctoritate. Novimus enim eum, haud secus ac *Thomas Aquinas*, putasse mundum ex nihilo creatum posse probari. Quid? vel ipsum commentarii "in Magistrum sententiarum" prooemium continuo quaerit, utrum *supernaturali* cognitione homini opus sit. Nunc vero notentur velim ea ipsa, quae huic quaestioni respondet. Haec enim, si tantummodo eum Nominalistam fuisse indicassent, non esset quod valde miraremur. Inprimis autem animadvertendum est, haec ipsa quoque comprobare, quae de *Franciscanorum* Scholae ratione atque indole disputavimus. Meminerunt lectores hanc rationem nos mysticam significasse.

Negando, ut notum est, quaestioni prooemii respondit *Duns Scotus*, hoc argumento usus, quod certum esse dixerit, "quod quaedam conditiones finis, propter quas est appetibilior et ferventius inquirendus, non possunt determinate concludi ratione naturali." Quisnam vero est finis ille "appetibilior et ferventius inquirendus?" An fortasse finis ille, ut apud Thomam, Dei dicitur cognitio? An fortasse ex ipsa cognitione Dei petuntur argumenta, quae peculiarem patefactionem necessariam esse ostendant; quippe quae cognitio nimis sublimis sit, quam ut ejus imbecillitas nostra particeps fiat? Minime gentium. "*Visio nuda et fruitio Dei est finis hominis.*" Quae autem verba quid sibi velint, neminem latent. "*Visionem illam nudam, fruitionem Dei*" idem habemus, quod ab ipsis Mysticis appellatur *contemplatio*, sin minus, nescio quid significare possit. Quod vero,

quum Joanni Duns *Scoto* demus, sponte apparet eum, quid voluerit, satis superque indicasse. Constat sane non posse „determinate concludi ratione naturali,” hominis finem esse, „fruitionem Dei.” Etsi enim daretur, „quod ratio naturalis sufficeret ad probandum” illum finem, „tamen non concluderetur, quod illa perpetuo convenit homini....”; qua perpetuitate tamen quam maxime opus est.

Constat igitur peculiare quoddam auxilium homini esse necessarium. Quod cum ita sit, quaeritur utrum hoc auxilium Deus nobis largitus sit. Cui quaestioni affirmando respondens, Theologiam, disciplinarum primam habebat *Scotus*, quippe quae, e Sacro codice petenda, divina nitatur auctoritate. Multa etiam ad hanc primam disciplinam retulit, quae ceteroquin hic minus pertinere videantur. Quod tamen, quam ob causam fecerit, non in obscuro latet. Quo plura enim ad Theologiam referre potuerit, eo magis de multis ei constitit.

Quum vero longior fortasse fuerim, quam par sit, non est quod de singulis iterum iterumque videamus, in quae iam supra Nominalismum multum valuisse, saepissime indicavimus. Quamnam enim cum in Anthropologia, tum in Christologia, nec non in doctrina, quae est de Trinitate, Nominalismus habuerit vim, satis superque, data opportunitate, in luce posuimus. Ut vero de Thomae agentes systemate, eorum etiam rationem habuimus, quae, licet non in ipsis Thomae scriptis inveniantur, vel sic tamen cum iis quam arcte conjuncta sunt; quo factum est ut nobis, si quid video, contigerit lectoribus ea proponere, ad quae *universe* tendat Realismus, ita quoque nunc missa faciamus, quae singulatim docuerit Duns *Scotus*, ut accurate animadvertamus, ad quemnam

finem perduxerit atque adhuc usque perducatur Nominalistarum in Theologia sententia.

Haec enim primam nobis ansam praebent nonnulla dicendi de Nominalista Theologo, Ecclesiae auctoritati obtemperante. Ignoscat igitur benevole lector, si propter haec, quae maximi duco, reliqua missa nunc facio, quae ceteroquin nos fugere non oporteat. Deinde, *Gulielmi* de quo in fine agemus, ratione habita, licet paucis, accurate tamen, expediam, quae hac de re mihi velim.

Philosophia, dum vero pulchroque nomine digna sit, cognoscere veritatem studet. Ea tamen, quae oculis adspiciuntur, sensibusque nostris cognoscuntur, si vel accuratissime animo considerentur, totius rerum universitatis imaginem nobis non repraesentant. Quidni? Oculi sensusque nostri de singulis tantum certiores nos faciunt. Neque, ut ita dicam, hominis oculus plura perlustrat, quam bestiae. Oculus enim per se, ingenio non praeditus, singulas res veluti in se recipit; inter quas tamen nullum obtineat vinculum, concordia nulla. Exemplum mihi eligam admodum perspicuum. Videmus quotidie noctem lucis excipere vices. Videmus quoque saepissime e coelo nubibus gravi magnas cadere pluvias. Lucem autem noctis causam dicere nolumus; affirmantes tamen pluviarum nubes esse causas. Quid, quaeso, nos invitat ut vinculum lucem inter et noctem negemus, quod inter nubes pluviasque reperiri statuimus? An fortasse vinculum umquam adspeximus, quo cum nubibus pluviae illae conjungerentur. Nequaquam. Ex utrisque, quae nobis eligimus, exemplis luculenter patet, oculum nostrum hoc tantum post illud, sive illud post hoc conspiceri, minime vero posse dijudicare, utrum hujus illud causa sit, nec ne.

Singula igitur, quae mera nos doceat experientia, ut nobis arctissime inter se cohaerere videantur, cogitatione opus est. Quo enim tardiores fuerint populi ad singula, in rerum conspicienda universitate, conjungenda, eo difficiliorem esse constat, hanc, quam significavimus, cogitationem; licet concedamus hanc saepissime auctam esse difficultatem eo, quod ne accurata quidem experientia usi sint populi bene multi. — Quae vero de cogitatione illa dixi quum vera sint, sponte apparet, hominem ratione orbatum rerum veritatem numquam esse cogniturum, etsi optima fructus esset experientia; constat etiam quemque, hominem hac ratione praeditum esse negantem, simul negare se veritatis umquam compotem fore.

Sunt autem, qui illud negent. Sunt, qui singula nos conspicere agnoscant, facultatem tamen homini tribuere recusent, a singulis initio facto, ad universalia progrediendi.

Sunt, qui, ut vidimus, universalialia „flatus vocis” esse contendunt; quos Nominalistas dicimus. Licet facile intelligamus Johannem *Sarisburiensem* narrantem, jam suo tempore, „omnem fere sectam Nominalium evanuisse,” licet philosophus cogitari nequeat, qui per longum temporis intervallum Nominalistae huic principio sincere atque ex animo addictus sit; animadvertendum tamen est plerumque fieri, ut philosophus aut theologus, veluti inscius, principio aliquo nitatur atque utatur, quod vero principium ipsum quam vehementer impugnet; nonnumquam videlicet ea, quae ex tali principio, et necessario quidem sequantur, accipit atque docet. Quae quum non ab omnibus fortasse continuo concedantur, animadvertant, quaeso, quae nunc disputaturi sumus de *Duns Scoto*,

peculiare quoddam auxilium homini necessarium esse contendente.

Duns *Scotus* igitur minime, ut de Roscelino fertur, universalia „flatus vocis” esse dixit. Licet enim concedat, intellectum non „habere notitiam simplicium nisi acceptam a sensibus; illa tamen accepta . . . simplicia virtute sua componere „posse intellectum affirmat. Itaque probe teneamus haec verissima effata esse *Scoti* philosophi. *Scoto* tamen theologo esse nonnulla videntur, quorum multum non sit „naturaliter scibile.” Diserte enim docet, in hoc errare philosophos „ponentes omnia, quae sunt a Deo, immediate esse ab eo necessario.” Haec animadversione dignissima rem nostram satis superque illustrant. Si enim detis esse aliqua „non naturaliter scibilia,” rationem humanam non in omnibus valere ad rerum veritatem cognoscendam, concedendum est. Quodsi vero in theologicis versamur, verisimile est, illud „non naturaliter scibile,” illa spectare, quae de Deo, deque rebus divinis Christiana nos doceat theologia. Ut de hoc admodum versisimili certiores fiamus, videndum nobis est, quam potius ratione de cognitione „supernaturali” Duns *Scotus* disputaverit. Veritatem aliquam duplici modo „supernaturalem” dici posse statuit, nempe cum fontis, ex quo veritas hauriatur, tum ipsius veritatis ratione habita. „. . . . Puta si agens supernaturale causaret notitiam *objecti naturalis*, ut si infunderet geometriam alicui: illa esset supernaturalis primo modo et non secundo modo.”

Haec igitur veritas „supernaturalis” esset, quoad fontem, ex quo petita sit. „Agens,” ut dixit *Scotus* „supernaturale” est. „Si autem,” ita enim pergit Duns

Scotus, „infunderet notitiam hujus, deus est trinus vel similiū, haec supernaturalis esset *utroque modo*, quia secundus infert primum, licet non e converso.” Nunc omnem *Scoti* mentem capere possumus. Eum nimirum non tantum contendisse constat peculiari, i. e. *supernaturali* quodam modo veritatem esse quaerendam; sed veritatem esse duxit „supernaturalem,” sive talem, qualem quae cognoscat ratio humana non idonea est. Nam necesse est ut in nonnullis „agens *supernaturale* (sit) sufficienter inclinativum intellectus ad istam veritatem causando in ipso assensum, quo proportionatur huic veritati” — Quae verba imprimis postrema ne nos fugiant. Ex his enim apparet est *Duns Scotum*, veluti pedetentim, secessisse ab optimo illo principio, quo initio statueret „intellectum simplicia virtute sua componere” posse. Patet enim hūc intellectui nostro certam tribui virtutem sive facultatem; quam vero facultatem continuo longe minoris momenti ducimus, quum a *Scoto* proponatur, tamquam *supernaturali* egens auxilio. At vero omnem prorsus, in theologicis saltem, hanc intellectus nostri virtutem flocci pendamus, par est, *Scoto* audito contendente, „agens *supernaturale* (esse) sufficienter inclinativum,” atque adjiciente id facere „agens”... „causando in ipso (intellectu) assensum, quo proportionatur huic veritati.”

Conficimus igitur ex mente *Duns Scoti*, intellectum nostrum „alicui veritati proportionari” debere. Quid multa? Si statuimus, in rebus theologicis intellectum nostrum informari debere, antequam veritatis capax fieri possit, constat in hoc saltem nos in Nominalium abiisse partes; deinde confiteamur oportet, nos Nominalibus no-

men dedisse. — Dicam perspicue verbo. Quicunque revelatione divina nobis opus esse contendat, non eam ipsam ob causam Nominalista mihi est. Qui vero rationem humanam idoneam esse neget, quae veritatem cognoscat, nisi antea „proportionetur huic veritati,” is vere Nominalismum sectari mihi videtur. Hanc autem sententiam non est, quod copiosis fulciamus argumentis. Cuius nimirum notum est, esse theologos, nequaquam Nominalistas dicendos „divinam tamen revelationem necessariam esse ducentes. Quid igitur, quaeso, ab his illos sejungit theologos? Quid efficit, ut hos inter et illos accurate distinguamus? Nec hoc ullum latere potest. Theologi, qui revelatione divina sibi opus esse dicunt, nec tamen Nominalistae habendi sunt, id in primis in rebus a Deo revelatis magno cum gaudio salutant, quod res in facto positas locum haberi jusserit Deus, quas accurate cognoscere, quas inter se conjungere studet Theologus. Ut physici naturae arcana investigant, atque de singulis quibusque minimis religiose quaerunt, quo citius singula conjungere, ordinare, componere possint; ita et Theologo de rebus, Christianam religionem spectantibus, certissime constet. Nequit enim res illas in facto positas non cognoscere, quum de ideis, sive de placitis Christianis aequum velit ferre iudicium. — Noscamus exempli causa, necesse est, historia docente, Christum esse mortuum pro mortalium infelici genere: quod vero quum nobis notum sit, humanae rationis ope ex dirissima, eaque tamen liberrima morte, conficimus Deum nos summo amore amplexum esse. Exempla nobis adsunt bene multa, quae ne justo longiores simus, praetermittere praestat. Unum vero quod attulimus, sufficit ad rem nostram egregie

illustrandum. Theologus enim, quem descripsimus, minime cum Realistis e sui ipsius ingenio omnem veritatem petendam esse ducit; nec historiam, neque experientiam spernit. Historia vero sive experientia de plurimis rebus in facto positis eum certiore faciente, nunc omnia sibi rationis humanae jura vindicat, ut eiusdem rationis ope, singula quae edoctus sit, ordinet, conjungat. Singula, in theologicis, philosopha ordinare ratione; quae non inter se cohaerere videantur, arctissimo conjungere vinculo, id dicimus theologiam dogmaticam.

Theologus contra Nominalista, etsi accurate quaerit de ipsa historia, ulterius progredi nequit. Theologus igitur dogmaticus, numquam proprio sensu, dici potest. Statuens enim „agens quoddam supernaturale inclinativum” esse debere, ut subinde „supernaturali veritati intellectus noster proportionetur;” historiam non per se idoneam habet, quae fons nobis sit theologiae dogmaticae. Unus, de quo egimus, theologus — ita enim discrimen inter utrumque significare liceat; — unus igitur theologus revelationem requiri non censet, ob imbecillitatem quandam rationis humanae, at multo magis eam ob causam hanc revelationem necessariam ducit, quandoquidem in omni rerum universitate cognoscenda, experientia accuratissima sibi opus esse agnoscit, qua experientia in theologicis quoque carere nequit. — Alteri vero theologo non tantum historiae auctoritati obtemperandum est, sed quoque ad auctoritatem quandam constitutam sese informare debet, quoad placita theologica. Cum ipsam rem, tum rationem, qua de illa re iudicandum sit, cognitam habet, auctoritate nitens. Romano-Catholicum Nominalistam Ecclesia, Nominalistam ex coetu Reforma-

torum Theologum Codex sacer *docet*, non tantum ipsam rem historicam, sed etiam *quid* de re historica *statuendum sit*.

Postquam de Gulielmo *Occamo* viderimus, opportunitas nobis erit, de hisce plura monendi. Itaque non est quod de hoc discrimine, obiter a nobis significato, plura in medium conferamus. In his igitur subsistamus, simul tamen provocantes ad illa, quae in fine huius speciminis de Gulielmo monenda sunt.

Neglectis igitur illis, quae aut passim monuimus, aut minoris videntur momenti, unum tantummodo attingere iuvat, quod et Nominalismi universi egregie vim indicet atque auctoritatem, et luculenter probet, *Duns Scotum* in theologia Nominalismum sectatum fuisse. — Significamus placitum de morte Christi.

Quid ex mente *Scoti* sentiendum sit, jam sequi debet ex iis, quae de voluntate divina nos docuit. Dixit enim: „nulla lex est recta, nisi quatenus a voluntate divina acceptatur. Et tunc potentia ejus attributa non se extendit ad aliquid aliud, quam ad illud, quod ordinate fieret, si fieret ordinem ita posset voluntas divina stutuere, sicut aliter potest agere;” atque scite, prospexit enim quae ex his sequerentur, addidit, Deum non habere „scientiam de futuris contingentibus, *nisi quia* certitudinaliter novit determinationem voluntatis suae respectu eorum, ad quae voluntas sua est immutabilis et impedibilis 1).” Docemur igitur nonnulla esse ad quae „voluntas divina non sit immutabilis, nec impedibilis.”

Secundum haec duo inprimis animadvertam, quae hinc

1) Lib. II. Sent. dist. 37. q. 2.

saltem animi nostri attentione dignissima sunt. Et haec duo quam longe Thomam *Aquinatem* a Duns *Scoto* separant.

1°. Thomas nimirum humani generis peccatum, veluti causam esse dicit liberationis a Christo peractae; Duns *Scotus* vero, etiam si homo non peccasset, Christum in has terras venturum fuisse putat.

2°. Thomas hominem cum Deo esse reconciliatum statuit per satisfactionem *superabundantem*; hanc vero reconciliationem Duns *Scotus* docet "sufficientem esse, propter *acceptationem meriti*."

De postremis primum videamus; multa addamus ad haec quid sibi velint illustranda vix aut ne vix quidem opus est. Intelligimus enim *Scotum*, scribentem "quantum attingit ad meriti sufficientiam, fuit profecto illud finitum, quia causa eius finita est, videlicet voluntas naturae assumptae, valuit procul dubio quantum fuit a Deo acceptatum." Et hinc igitur ad Dei voluntatem omnia referuntur. "Dei acceptatio potissima causa et ratio omnis meriti" dicitur. De meritis Christi, ex mente *Scoti* nihil *objective* statuere licet. Non in se habent vim ad hominem servandum. Servant tamen, quatenus Deus "meritoriam Christi mortem" accipiat. Vides me recte scripsisse Nominalistam non ex re aliqua in facto posita, ope rationis humanae, ad conceptum aliquem pervenire posse, at vero ei quoque opus esse ut auctoritas aliqua eum certiores reddat de iis, quae de certa re in facto posita cogitanda sint.

In his autem subsistere non potuit Duns *Scotus*. Si enim ex ipsis Christi meritis, satisfactio pro peccatis, non *necessario* sequitur, haec vero satisfactio sufficiens

est „propter acceptationem meriti,” non est quod valde miremur, Duns *Scotum* statuisse Christum, etiamsi homo non peccasset, venturum fuisse. Non enim cum *Scoto*, Nominalista, videmus, qua de caussa, ob peccatum tantum, Filium suum in mundum Deus misurus esset. Potuisset Deus qualemcumque ob causam Filium carnem fieri iubere, dummodo ita voluisset. Indicare vix opus est, in quas inanes infructuosasque quaestiones Nominalismus abeat. De nulla re nobis constat. Nulla necessitas, neque ulla necessitudo reperitur. Ex Dei voluntate omnia pendent. Sileat prorsus intellectus noster; taceat plane de mysteriis divinae voluntatis, cui serviliter obtemperet mortalium insipiens genus.

SECTIO II.

Gulielmus ab Occamo.

De Gulielmo *ab Occamo*, postremo loco, videbimus, non propterea quod theologus nobis sit, cuius maximi nostra interest. Theologus enim, proprio sensu, non dicitur; nec systema absolutum nobis praebuit; quod cum universe Nominalistae umquam contingere posse negamus, tum saltem Gulielmo non contigisse constat. Maximi vero momenti nobis est, paucis de Gulielmo dicere, quippe qui Nominalium Realiumque pugnae historiae finem, quam luculenter, ante oculos nobis depingat; quin vel locum in illa historia obtineat, animadversione dignissimum; ita ut in eo recte subsistatur disqui-

sitio nostra; quae non Scholasticorum theologiae fata tradere velit, at multo magis indicare studeat, qua via cum Nominalismus, tum Realismus in theologia, suam habuerint vim. Nominalismum victorem superstitem, en hujus longioris certaminis finis, post tot fata, tot discrimina rerum.

Quaeritur vero continuo, quomodo in Theologia haec Nominalismi victoria conspicienda sit. Quaeritur deinde, utrum majorem etiam reportare potuerit victoriam ipse ille Nominalismus.

Quibus quaestionibus antequam respondeamus, pauca in medium conferamus, quae Gulielmum procul dubio Nominalistam fuisse probe ostendant. Nec talia frustra quaerimus. Scribit: „Nulla res extra animam, nec per se nec per aliquid additum reale vel rationis, nec qualitercumque consideretur, vel intelligatur, est universalis: quod tanta est impossibilitas, quod aliqua res sit extra animam quocumque modo universalis, quanta impossibilitas est quod homo per quaecumque considerationem, vel secundum quodcumque esse, sit asinus” 1).

Haec admodum clara atque perspicua esse duco. Quidquid de horum verborum significatione detrahere conati sint nonnulli Viri docti, parvi faciendum esse censeo. Qui enim, quaestione septima, talia locutus est, idem est, ac qui, quaestione sexta, dixerat: „Non est quaerenda causa individuationis, nisi forte extrinseca.” Scripsit quoque idem: „quaelibet res eo ipso quod est est haec res.” Licet igitur non omnibus nominibus Roscelinum secutus sit Gulielmus, summo jure, ut videtur, No-

1) In I. sentt. dist. II. q. VII.

minalistam eum dicimus, vel sic tamen debitam ei tribuentes laudem. Dicamus enim quod res est. Post inania multaque Realium philosophemata, est sane quod sinceritate gaudeamus atque libertate, qua rationis humanae nimia auctoritas abrogetur; est sane quod, quamvis Thomam magni faciamus, Nominalismum caute salutemus, quippe qui saltem scientiae viam parare possit. Neque igitur a Viro Cl. Hauréau discedimus, Gulielmum non uno nomine comparantem ad Abaelardum Conceptualistam. Non tamen hujus loci est haec uberius explicare. Sufficiat in nota laudasse locum Viri Cl., quem significavimus ¹⁾.

Nostrum tantummodo erit in clare luce ponere quid, hujus disquisitionis ratione habita, Gulielmi Nominalismi universa victoria nos doceat; quid inde tum quod ipsum Nominalismum, tum quod theologiam illius aetatis

1) Legitur locus p. 474. Tom. II.: "Son esprit (Abaelardi enim) est bien l'esprit moderne à son origine. Chez Guillaume d'Ockam, c'est le même esprit s'éloignant de son origine, et n'ayant pas, toutefois, encore atteint cette période de la vie morale et organique que l'on appelle la maturité. L'oeuvre d'Abélard a été de faire de bonne justice de toutes les chimères recommandées par les sectateurs enthousiastes du Pseudo-Denys, Guillaume a combattu les mêmes fantômes introduits de nouveau dans l'École par les interprètes des glosses Arabes, et a remporté sur eux une nouvelle victoire... Guillaume d'Ockam est venu signaler ces excès (metaphysicorum enim), ces égarements, débarrasser de tous ces obstacles le chemin qui mène à la science de l'être..... et pour tout dire reformer les diverses parties de la science des choses par une sage critique de cette raison pure, dont les ambitieux écarts avaient jeté tous les esprits dans la plus déplorable confusion....." Haec vero imprimis laudanda mihi videntur: "C'est donc en réalité sur le sol si bien préparé par le prince des nominalistes, que François Bacon a fondé son éternel monument."

Romano-Catholicam attinet, efficiendum sit. Quo magis haec praecedentibus, ut spero, admodum luculenter illustrata sint, eo breviores esse possumus, in ipso Gulielmo principio pertractando.

De „Doctoris singularis et invincibilis, inceptorisque venerabilis” principio nobis ita agendum est, ut optime ejus vis in theologia pateat.

Quod ut rite fiat, locum laudabimus, qui omnium unus nobis idoneus videtur ad Gulielmi principium perspicue indicandum:

„Quamvis talis distinctio vel non identitas formalis possit poni aequè faciliter inter essentiam divinam et sapientiam divinam, non credo eam esse faciliorem ad tenendam trinitatem personarum cum unitate essentiae; ideo non debet poni, nisi ubi evidenter sequitur ex traditis in scriptura sacra vel traditione Ecclesiae, propter cuius auctoritatem debet omnis ratio captivari. Et ideo cum omnia tradita in scriptura sacra et determinatione ecclesiae et dictis sanctorum possunt salvari non ponendo eam inter essentiam et sapientiam, ideo simpliciter nego talem distinctionem ibi possibilem et eam universaliter nego in creaturis, quamvis posset teneri in creaturis, sicut in Deo”¹⁾. — Quid inde efficiamus; ut alia bene multa effata, hisce similia, missa faciamus. Efficiamus, Gulielmum veritatem, quam philosophia doceat, nec tamen auctoritas sacrae scripturae affirmet, rejiciendam putasse. Nunc vero ut rem acutangamus, in memoriam revocemus, Scholasticorum Theologiam ab eo incepisse, quod rationem humanam eadem

1) Cf. I. Sentt. dist. II. q. I.

docere putarent ac Ecclesiae doctrinam constitutam. Etiam si hanc concordiam inter philosophiam atque theologiam non continuo ante oculos haberent, iis tamen persuasum erat, hanc concordiam futuram esse; ideirco instituebant conamina, ut iis contingeret hanc concordiam stabilire. Nequaquam vero passi sunt discrimen obtinere philosophiam inter et Theologiam. Fatendum est, Ecclesiae doctrinam id temporis habitam esse auctoritatem, qua omnes niterentur Theologi; pugnam tamen hanc inter et philosophiam, eam ob causam cogitari non potuisse, quia philosophia eundem scopum sibi proponere deberet, ac theologia. Vides autem Gulielmum longe alia procedere ratione. Minime sudat, ut philosophiam atque theologiam plane eadem docere probet. Nam discrimen, magnum illud, optime agnovit, minime vero curavit. Nihil ejus interesse videntur philosophiae placita. Doceat enim philosophia quid velit; libera maneat in sua provincia; Theologiae, sive potius Ecclesiae fidei Catholicae numquam nocebit. Propter Ecclesiae auctoritatem debet „ratio captivari.”

Ex Gulielmi dictis a nobis laudatis, quid sequi debeat, nonnullos latuisse videtur. Mirum enim dictu est, quomodo viri docti nonnulli, ut Ritter, Tennemann (libris laudatis) inter Gulielmum tam Nominalis, atque eum, Ecclesiae auctoritati fidem habentem, nullam agnoscant necessitudinem. Tennemann imprimis, ratione parum philosopha de utroque egisse mihi videtur; miratur videlicet, Gulielmum *ab Occamo*, tam audacem, in permultis philosophicis, fuisse philosophum criticum, Ecclesiae tamen serviliter obtemperantem. Non, ut doctissimus ille vir, est quod nos etiam miremur.

Quod satis perspicuum erit lectoribus, ea, quae huius capitis sectione prima de Duns *Scoto* scripsimus, benevole in memoriam revocantibus. Vel sic quidem animadvertendum est, *Scoto* luculentius etiam, Gulielmum illam, quam significavimus, docuisse obtemperantiam; ita statuere nobis licere videtur Gulielmum, quo audacior fuerit Nominalista, eo magis sibi constitisse, dicentem „propter Ecclesiae auctoritatem debere omnem rationem captivari.” Notetur igitur *Franciscanorum* Nominalismum magis magisque invalere, quo enim Nominalismo haud secus ac Bonaventura et Duns *Scotus*, Gulielmus ab *Occamo* tamen inprimis usus est. Minus etiam quam Bonaventura, *Scotus*, Mysticus dicendus est. Gulielmus vero, nullo nomine in Mysticorum partes abiit. Itaque Gulielmo, ut vel sic quidem fidem sibi vindicaret, Ecclesiae auctoritati erat obtemperandum. Quod nos universe docere videtur Theologum Nominalistam, ne Atheista dicatur, Ecclesiae auctoritate niti debere.

Ecclesiam Romano-Catholicam omnium unam in Theologicis, tamquam auctoritatem, salutandam esse facile intelligimus. Nempe Ecclesia illa non tantum veritatem Christianam, qualis Codice sacro contineatur, docere conatur; at vero rationem monstrat, sensumque indicat, quo veritas accipienda, interpretanda sit. Quicumque igitur Nominalista sit, eo ipso rationi humanae recusat de veritate, quatenus non sensibus cognoscatur, universa judicare. Unde sequitur, Nominalistam censere de argumento Codicis sacri sibi nihil constare, nisi quatenus Ecclesia constituit, quid hac in re sentiendum, quid rejiciendum sit. Conficimus igitur Nominalistam Romano-Catholicum fieri, non esse quod miremur, neque esse quod aegre feramus.

Huic vero disquisitioni jam finem imponamus necesse est. In fine, ut initio, lectores rogare liceat, ut memores sint tironis tantummodo specimen iis proponi. Sunt saltem prima lineamenta eorum, quae dum vita gaudeam, fore ut accuratiori examini iterum iterumque submittam, vehementer spero.

THESES.

I.

Realismus et Nominalismus in Theologia aequè vitandus est. Unus Conceptualismus sese commendat.

II.

Conceptualismus tamen in theologicis non facile adhibetur.

III.

Realismus, per Conceptualismum debilitatus, in Mysticismum abiit.

IV.

Mystici, quoad formale eorum principium, Nominalistae, quoad materiale, Realistae dicendi sunt.

V.

Realismi principium *formale* est: *ontologice vera habere, quae logice demonstrata sunt*; principium *materiale*: *logice distinguere inter substantiam eiusque attributa.*

VI.

Realismus, dum sibi constat, ad Pantheismum idealem Nominalismus, dum sibi constat ad Atheismum ducit.

VII.

In Realismo aequae ac in Nominalismo Ethica frustra quaeritur.

VIII.

Conceptualismus medii aevi Rationalismus fuit vulgaris.

IX.

Gilbertum *Porretanum*, de Trinitate disputantem, Conceptualistam dicimus.

X.

Theologia speculativa, quae dicitur, nostri temporis, in Realismo nititur.

XI.

In Theologicis una auctoritate niti, Nominalismus dicitur.

XII.

Liber *de generibus et speciebus* male a Viro Cl. Cousin, Abaelardo tribuitur.

XIII.

Ratiocinatio Richardi a *Sancto Victore*, qua Trinitatem probare conatus est, nihil valet.

XIV.

Doctrina Anselmiana de satisfactione Christi sacro Codice non continetur.

XV.

In philosophia Viri Cl. Locke notio Dei abundat.

XVI.

Malum morale non ordinis est privatio, sed perturbatio.

XVII.

Duplex sensus in sacro Codice interpretando non est admittendus.

XVIII.

Praeclare Vinet. (*Chrest. Franc.* Tom. III.) "C'est à la puissance de faire vibrer en nous les cordes primitives de l'âme, ce qu'elle a de plus simplement humain, c'est à cela et à nulle autre chose, que nous reconnaissons l'orateur."

XIX.

Theologus Reformatus non potest non jus sibi vindicare, libere in s. Codicis doctrinam inquirendi.

XX.

Scholastici, prima periodo, philosopha in Theologicis ratione uti ausi sunt, quandoquidem „per fidem ad intellectum” sese perventuros putabant; altera vero periodo eandem libertatem amabant propterea „quod magnum theologiam inter et philosophiam obtinere discrimen sibi persuasum habebant.

